Lit. R
279.19

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SYNCRETISMI MEDICI VTILITATE ET NECESSITATE

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GODOFR. STENTZELIO

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO PATHOLOGIAE PROFESSORE SVBSTITVTO ET H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO

IN AVDITORIO MAIORI

DIE DECEMBRIS XIII. A. cIↄ Iↄ cc XXXIV.

PRO GRADV DOCTORIS

TVEBITVR

IOANNES SAMVEL SEYDEL

SCHMIEDEBERGENSIS SILESIVS

VITEMBERGAE

LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

k. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Zimmer		Katalog	Abth.	
Kasten			Gruppe	
L. Nr.			Nr.	

DE
VTILITATE ET NECESSITATE SYNCRETISMI MEDICI.

I.

Deſideratur adhuc infallibilis certaque, quam in ſcriptis hoc titulo inſignitis VALENTINI (a) promittere uidetur, medicina; ac ſufficiens, contra omnem tot et tam diuerſorum morborum uim atque atrociam, quod anxie multi medici quaerunt, in HOEFERI (b) libro, qui medicus appellatur Hercules, robur non deprehenditur; deſunt quoque in BVRNETI (c) theſauro plura, quorum ſumma in ſalutaris exercitio artis utilitas et neceſſitas ; nec

omni-

(a) Valentini Praxis medicinae et chirurgiae infallibilis in 4to, duobus tomis Francofurti ad Moenum 1721. prodiit.

(b) Hoeferi Hercules medicus editus Norimbergae 1675. praeter pathologiam ſpecialem, obſeruationes complectitur.

(c) Burneti theſaurus impreſſus Geneuae 1697. medicinam practicam tradit.

omnibus, quibus medicus maxime eget, medica WALTHERI (d) ſilua eſt referta. Promeritam eruditis allegatorum auctorum libris laudem et dignitatem minime denegandam detrahendamque eſſe cenſeo, multa quippe utilia et neceſſaria artis ſalutaris praecepta, monita et conſilia in iisdem inuenimus, et in his ſolis eam, quam genuinus et ſincerus medicus efflagitat, certitudinem, non contineri. ipſi modo nominati medici, uiri de arte ſalutari optime meriti, ingenue fatentur. Nec eſt, inquit FRANCISCVS de le BOE SYLVIVS, (e) artium tantum, ſed omnium inſuper diſciplinarum practicarum, eadem incertitudinis et coniecturae ſors; nam ſiue diuina, ſiue ciuilia, ſiue naturalia quis ſpectet, nullam homini, quoties circa haec, aut illa pro re nata perſonis aut rebus applicanda occupatur, ſicque ipſis operatur, conceſſam eſſe in actionibus ſuis certitudinem, obſeruabit. Quisquis proinde contrarium uerbis quidem, adeoque gratis aſſerit, nec tamen urgentibus rationibus, aut euidentibus exemplis demonſtrat, incaſſum laborat, poſtquam nemini data eſt unquam in philoſophia et ueritatis inueſtigatione dictatura; quin unicuique incumbit ex aequo aſſerti ſui probatio, cuius loco, qui huius uel illius ſcriptoris auctoritatem placitumue interponit, reuera et actu cauſam ſuam deſperatam eſſe oſtendit et uadimonium deſerit. Hoc SYLVII monitum illis ſedulo inculcandum medicis, qui auctoritatis occupati praeiudicio, hunc illumue Doctorem coeco ſequuntur impetu, atque eiusdem dogmata, quae uel non intelligunt, uel non ſatis examinarunt, temere amplectuntur, atque omnia, quae idem propoſuit, pro certiſſimis atque infallibilibus habent, atque in rebus nullius momenti tempus inutili tranſigunt opera. Audiant iidem GALENVM, (f) cui alia mens aliaque fuit ſententia, τοσαύτης γὰρ

(d) Sylua VValtheri medica, emiſſa Budiſſae, ao. 1679. plura mala iiſque oppoſita remedia ex aliis collecta auctoribus exhibet.

(e) In Oper. quae Amſtelodami apud Elſeuirium prodierunt, diſſertat. X. corall. 2. §. 3. p. 52.

(f) Libro 3. de pulſuum differentia, mox in principio.

γὰρ οὔσης, inquit idem, τῆς ἐν τοῖς πράγμασιν ἀσαφείας, ὥστε εἰ καὶ τριπλασίονα βίον ζήσαιμεν, οὗ νῦν ζῶμεν, οὐδὲ τότ' ἂν ἴσως ἁπάντων ἡμῖν ἀκριβῶς γνωσθέντων, εἰ καὶ διὰ τοῦτ' εἰπόντος Ἱπποκράτους, ὁ βίος βραχύς. Πῶς οὐκ ἄτοπος ὁ περὶ τὰ μηδὲν προσήκοντα τρίβων τὸν χρόνον. In ſe quidem ars ſalutaris, ſi id, quod fieri debet, non id, quod fieri ſolet, reſpicias, ſatis certa, certitudo uero illius in unius hominis ſcientia, aut ſcriptis placitisque non quaerenda. Totum ſane collegium medicum, imo plura, ſi ex optimis conſtituerentur medicis, ad certum atque infallibile artis ſalutaris fundamentum ſtabiliendum, non ſufficerent. Cum enim praecipuum medicinae medicique negotium in morbis cognoſcendis, diiudicandis, diſtinguendis, et curandis conſiſtat, morborum uero origo, eſſentia, ſedes, indoles et cauſa ſit admodum diſcrepans et Protheo mutabilior, ac luxus corruptaque, qua plures homines delectantur, uitae ratio, noua quotidie infirmitatum genera in ſcenam producat, quam difficilis multorum morborum, euentusque, quem nanciſcuntur, cognitio et medela ſit; quanta difficultas, quanta incertitudo in exercenda medicina occurrat; quanta ſedulitas atque attentio ad exactiorem artis ſalutaris culturam ſit neceſſaria, quiuis, cui ueritatis ſtudium curae cordique eſt, animaduertet. Agnouit et deſiderauit eadem BARTHOLOMAEVS DE MOOR, (g) iterum illud moneo, ſcribens, morborum et ſymptomatum differentias plures hactenus intactas deſcribere, atque adeo morborum hiſtoriam contexere abſolutam, opus eſt imprimis utile et neceſſarium. Hanc itaque merito inter deſiderata refert acutiſſimus SYDENHAMIVS. Poſſet alicui uideri, hoc opus eſſe quam facillimum, uerum requiritur experientia diuturna, obſeruatio ſedula, iudicium exquiſitum; conditiones uariae, quae apud modo laudatum auctorem uideantur. Quandoquidem autem illud unius hominis non eſt, optandum foret, ut plures

(g) Cogitationibus de inſtaurat. medicinae lib. 2. edit. quae Amſtelodami apud Borſtium prodiit, p. 141. et 142.

medici rationales in idem illud opus incumberent, et ſibi mutuo in praxi obſeruata communicarent. Non ſatis hinc, cum haec inter omnes conſtent, mirari poſſum, reperiri homines, reperiuntur uero plures, qui diſſectis examinatisque aliquot ueruecum, cum quibus communem agnoſcunt patriam, capitibus, notatisque aliquot, quae huic illiue celebri medico familiares fuerunt, formulis, ſe totam eruditionis medicae abyſſum exhauſiſſe, ſeque ſolos prudentes eſſe putant, nihil, praeter τὸ ἀυτὸς ἔφα, urgentes; diſcent uero huiusmodi ſtatuae uerueceae cum irreparabili famae et conſcientiae damno, optimo ſtultorum magiſtro, inposterum cautius mercari. Melius ſibi ſuisque et aegrotorum rebus proſpiciunt et conſulunt, qui tam in diſcenda et docenda, quam exercenda medicina, SENECAE (h) haec de ſe ſcribentis methodum ſequuntur: non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multum magnorum uirorum iudicio credo, aliquid et meo uendico. Bonus quandoque dormitat Homerus, ac nullus tam felicis praeſtantisque ingenii, iudicii atque eruditionis eſt, qui non in hac illaue re ſe hominem, hoc eſt, erroribus obnoxium, deprehendat; etenim, μηδὲν ἁμαρτεῖν, ait SOLON, (i) ἐςὶ Θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν; et ut habet PINDARVS, (k) ἁμαρτάνει καὶ σοφοῦ σοφώτερος. Obſeruamus hac ratione quotidie, ſapientiſſimos quoque uiros, uti loquitur SENECA, (l) multa delinquere; neminem eſſe tam circumſpectum, cuius non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat; neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum caſus impingat. Nullus e contra tam abiectae hebetisque cenſendus naturae, qui aliquid ſolidi bonique, conſtanti labore atque induſtria, non praeſtare inuenireque poſſit. Non omnia perſpecta cognitaque

(h) Epiſt. 33. edit. quae Antverpiae ex officina Plantiniana cum notis Lipſii ao. 1652. in folio prodiit p. 444.

(i) Apud Demoſthenem Orat. pro corona.

(k) Olymp. 7.

(l) Lib. 3. de Ira cap. 24. ed. cit. p. 57.

taque habuit Hippocrates; nec quaeuis Philinus et Serapio ignorarunt; multa, quae iam medicinae tyronibus trita, communia, et uulgo nota ſunt, Galenum latuerunt; ac plura ſequens eruet detegetque ſeculum, nobis prorſus ignota. Magna eſt utilitas remediorum chymicorum, nec contemnenda ſunt ſimplicia herbarum decocta et pulueres, quae Galenicorum nomine medicamentorum inſigniuntur. Nulla datur medicorum ſchola, errorum omnino expers, nulla reperitur, ſi Stahlianam excipias, ſecta, omni prorſus deſtituta emolumento. Sparſim, ex SENECAE (m) teſtimonio, medicina fuit inuenta, diſperſa quoque per tot diuerſas ſectas optima et neceſſaria artis ſalutaris praecepta e diuerſis ſeligenda et colligenda auctoribus.

II. Cum igitur ingeniis perſpicacibus, ſua, ut habet BARTHOLOMAEVS DE MOOR, (n) aſſerta ſit libertas, atque excuſſum tandem priſtinae et ignominioſae iugum ſeruitutis, non tam auctores, ex CICERONIS (o) conſilio, quam experientiam et rationum momenta ſequamur. Nullum agnoſcamus medicinae dictatorem, nullum pro infallibili in arte ſalutari exercenda habeamus. Abſit, ut cum HEVRNIO (p) affirmemus: Hippocratis, (aut ullius medici, quiſquis etiam ille ſit,) tantam fuiſſe benignitatem, ut nihil ſciuerit, quod nos neſcire uoluerit, tantam autem ſolertiam ac ſapientiam, ut nemo poſt eum ſciuerit, quod ipſe ignorauerit. Hanc laudem atque *ἀποθέωσιν* ipſe auerſatur HIPPOCRATES, (q) ſuarum in hoc negotio uirium infirmitatem agnoſcens, haec ad Democritum exarando: *καὶ ἔγωγε δοκέω πλείονα μεμψιμοιρίην, ἢ τιμὴν κεκληρῶσθαι τὴν τέχνην.* *Εγὼ μὲν γὰρ ἰητρικῆς ἐς τέλος ὀυκ*

(m) Epiſtola 95. edit. citat. p. 599.
(n) Cogitat. de inſtaurat. med. lib. 1. edit. cit. p. 2.
(o) De Natura Deorum lib. 5.
(p) Method. Stud. medic. cap. 5.
(q) In Oper. quae cum Oeconomia Foeſii Geneuæ 1662. in folio prodierunt, Tom. II. Sect. VIII. epiſt. ad Democr. p. 1287.

ἀφίγμαι, καίπερ ἤδη, γηραλέος καθεςώς· Ουδὲ γὰρ ὁ τῆσδε ἑυρετὴς Ασκληπιὸς, ἀλλὰ καὶ ἀυτὸς ἐν πολλοῖς διεφώνησε, καθάπερ ἡμῖν αἱ τῶν συγγραφέων βίβλοι παραδεδώκασιν, hoc eſt, et ego ſane plus reprehenſionis, quam honoris ex arte mihi conſecutus uideor; neque enim, quantumuis iam ſenex, ad artis medicae ſummam perueni; neque etiam ipſius inuentor Aeſculapius, ſed et ipſe a ſeſe in multis diſſenſit, prouti eorum, quos ſcripſit, librorum monumenta nobis tradiderunt. Hippocrates enim, uti eundem loquentem introducit AMMANNVS (r) homo natione Cous fuit, et humanum a ſe nihil alienum reputauit; medicus fuit et cum medicis, ſiue ſint ex ueterum, ſiue recentiorum proſapia, ſe labi poſſe, ultro confeſſus eſt; *τοῦτον τὸν ἰατρὸν*, ſunt uerba HIPPOCRATIS, (s) *ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι, τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα, τὸ δ' ἀκριβὲς ολιγάκις ἐςὶ κατιδεῖν*, hoc eſt, eum ſane medicum ego uehementer laudarim, qui parum delinquat, certitudinem autem exactam raro uidere contingit. Alludit ad hanc Hippocrates mentem GALENVS (t) eleganti hac ſententia: *χαλεπὸν, ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ αμελέςερον γράψαντα*, difficile ſcilicet eſt, ut, qui homo ſit, non in multis a uero aberret, quaedam uidelicet penitus ignorando, quaedam uero male iudicando, et quaedam tandem ſcriptis negligentius tradendo. Profundiſſima utique eſt ueterum medicorum ſapientia, aſt plura pariter in eorum ſcriptis praeiudicia grauiſſimoſque errores deprehendimus. Habemus omnino artem ſalutarem iam bene exculltam, minime tamen perfectam. Nec credas, quod recentiores philoſophi et medici omnem rem iam acu tetigerint, ac

(r) Irenico Numae Pompilii cum Hippocrate p. 5.
(s) Lib. de Veteri medicina edit. in folio, quae cum Theodori Zwingeri comment. Baſileae apud Epiſcopium 1579. euulgata fuit, pag. 23.
(t) Lib. 2. de locis cap. 1.

ac plane exhauſerint. Selige, quae utilia ſunt, ex antiquorum monumentis, iiſque recentiorum adiunge ſtudia. Merito hinc ex BOHNII (u) teſtimonio, inuidae immerſus ſtultitiae ille uidetur, cui noua tantum placent, & ſtulta inuidia agitatur, cui omnia recentia ſordent. Non ſufficit, res quaſdam, uti ingenioſe loquitur SENECA, (x) memoria tenere, ſed ut eaſdem quoque ſciamus atque exerceamus, neceſſarium eſt. Alios quidem ſequi decet, ſed coecum abſit obſequium. Veteri, cum noſtro Philoſopho, utaris uia, ſed ſi propiorem planioremque inueneris, hanc munias. Qui enim iſta ante nos mouerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus ueritas, nondum eſt occupata, multum ex illa etiam futuris relictum. Non inani illa tenearis perſuaſione, unam alteramue ſaltem artis ſalutaris partem & diſciplinam ad ſcopum obtinendum ſufficere. Nec uno alteroue confiſus experimento in re incerta certitudinem ab omnibus tam enixe quaeſitam colloces. Hoc potius tuum ſit negotium, haec tua cura et meditatio, eoque omnes tui colliment labores, ut, repudiatis omnibus, quae tibi obicem ponunt, remoris, ueros ſaltem artis ſalutaris fines reſpicias, atque ad eoſdem obtinendos cum quibuſuis, qui aliquam habent peritiam medicam, ſi commoda occurrit occaſio, conferas, atque ab iiſdem aliquid diſcas. Poſtremo, loquor cum VERVLAMIO, (y) omnes in uniuerſum monitos uolumus, ut ſcientiae ueros fines cogitent, nec eas aut animi cauſa petant, aut ad contentionem, aut ut alios deſpiciant, aut ad commodum, aut ad famam, aut ad potentiam, aut huiuſmodi inferiora, ſed ad meritum atque uſus uitae, eamque in charitate perficiant et regant. Quid uero medicina, ad eadem obtinenda utilius, quid difficilius? inter utiliſſimas artes, ait CAS-

(u) In praefat. operibus Bellini praemiſſa,
(x) Epiſt. 33. edit. cit. p. 445.
(y) In Praefat. noui organi p. 275.

CASSIODORVS, (z) quas ad ſuſtentandam humanae fragilitatis indigentiam diuina conſilia tribuerunt, nulla praeſtare uidetur aliquid ſimile, quam quod poteſt auxiliatrix medicina conferre. Ad hanc uero artem rite excolendam atque exercendam non unius hominis labor atque opera ſufficit, ſed unita plurium ſedulorum ſtudia, ſyncretiſmus nempe et prudentia medica, requiruntur. Hinc etiam, ut paucis, quae mea ſit ſententia, conſtet, cuiuis, qui artem ſalutarem rite addiſcere & feliciter exercere geſtit, ſyncretiſmum et prudentiam medicam, ex iis, quae antecedentibus propoſui atque explicaui, rationibus, commendo. Syncretiſmus uero a *συγκρητίσαι*, conſpirare, litem imminente periculo componere, deductus, morem ueterum ciuitatum Cretenſium, quo contra communem hoſtem arma arripientes inteſtina ſeponendo bella, utebantur, alias notabat. Simile quiddam de Oxodracis et Mallis CVRTIVS (a) refert, quos inter ſe bellare ſolitos, praeſentis ſocietas mali, accedente Alexandro, iunxerat. Hos mores, qui ſyncretiſmi comprehenduntur nomine, eleganter his uerbis PLVTARCHVS (b) deſcribit: *ἔτι τοίνυν ἐκεῖνο δεῖ μνημονεύειν ἐν ταῖς πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς διαφοραῖς καὶ φυλάττειν, τὸ τοῖς φίλοις αὐτῶν ὁμιλεῖν καὶ πλησιάζειν τότε μάλιστα, φεύγειν δὲ τοὺς ἐχθροὺς καὶ μὴ προσδέχεσθαι, μιμούμενον αὐτὸ γοῦν τοῦτο τῶν Κρητῶν, οἳ πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων, διελύοντο καὶ συνίσταντο, καὶ τοῦτο ἦν ὁ καλούμενος ὑπ᾽ αὐτῶν συγκρητισμὸς*, hoc eſt, praeterea et illud meminiſſe obſeruareque decet, ut fratribus inter ſe diſſidentibus, eo tempore conſuetudinem et conuictum cum eorum amicis habeas, inimicos uero fugias, neque ad familiaritatem admittas, ſecutus in eo Cretenſium mores, qui factionibus atque inteſtinis diſtracti bellis, ingruenti-

(z) Lib. VI. Var. lect. cap. 19.
(a) Lib. IX. cap. 4. §. 15.
(b) Libro de fraterna charitate.

gruentibus aliunde hoſtibus, ſeſe unitis coniungebant uiribus, atque is erat, quem illi Syncretiſmum dicebant. Multa quidem ad Syncretiſmum medicum applicanda hic occurrunt, talis uero Syncretiſmus, cum concordiam minus ſolidam et conſtantem, ac breui cum hoſtibus euaneſcentem notet, medico genuino non ſufficiet, nec eam, quam efflagitamus, ſuppeditabit utilitatem. Vnde plura neceſſaria Syncretiſmi medici monita et praecepta ſequentibus explicanda capitibus reſtant.

III. Medicus eſt, iſque certa conſtans fide, quem medicis commendatum uolo, Syncretiſmus, minime uero famigerato Theologorum Syncretiſmo, qui multis (c) eccleſiaſticam, ſine diſſenſionum compoſitione, concordiam notat, a DANNHAVERO (d) autem, imprudens religionum et cultuum confuſio, ex ratione carnali atque intempeſtiuo pacis ſtudio nata dicitur, ſubſcribendum eſſe, iudico. Nec eorum medicorum, Peuceri ſcilicet, aliorumque, qui Caluiniano partim, partim Calixtino Syncretiſmo dediti fuerunt, defenſionem et patrocinium in me ſuſcipiam. Multo minus Geſſium, medicum, qui quinto poſt Chriſtum natum ſeculo uixit, Andream Caeſalpinum, Clementis octaui archiatrum, Cardanum, celeberrimum ſeculi decimi ſexti philoſophum et medicum, Franciſcum Rabelai, qui ex monacho medicus euaſerat, Franciſcum Sanchez, uniuerſalis fautorem ſcepticiſmi, Thomam Browne, et Bernardum Connor, Anglos, Samuelem Garthium, ab atheiſmi, indifferentiſmi et ſyncretiſmi, in qua plurimis ſunt, ſuſpicione, uindicare allaborabo; licet non diffitendum ſit, multos medicos in hac re prorſus inſontes in crimen uocari, et ſine omni culpa, (uti euenit Sennerto, quem immerito accuſabat Freytagius,) pro atheis et ſyncretiſmi fautoribus haberi habitoſque fuiſſe, qui tamen ipſis aduerſariis, qui illos in haereticorum claſſem retulerunt, tum uera in Deum pie-

(c) uid. Rangonis hiſtor. Syncretiſmi, cap. 1.
(d) In Myſterio Syncretiſmi detecti p. 66.

tate, tum ſincera conſtantique in Chriſtum fide praeſtantiores fuerunt. Hanc praecipue fati duritiem, ex hominum ſtupidorum imperitia, ſuperſtitione atque impudentia, illi medici experti fuerunt, qui artificioſam corporum humanorum brutorumque fabricam, atque ab eadem reſultantes uires motrices et actiones ex principiis mathematicis atque anatomicis deduxerunt et demonſtrarunt. Tantum uero abeſt, ut ſolidior matheſeos atque anatomiae cultura, ſapientiaque naturalis, et eiusdem exacta perſcrutatio atque explicatio, nos ad atheiſmum ſyncretiſmumque deducat, ut potius hinc immenſa infinitaque ſummi architecti bonitas, prudentia et potentia euincantur, omnisque peruerſus de uera religione conceptus ex hominum animis euellatur et profligetur. Haec uero omnia tanquam longius a ſcopo meo remota relinquens, de medici utilitate et neceſſitate Syncretiſmi exponenda et demonſtranda potius ſollicitus ſum. Medicus autem Syncretiſmus mihi rationalem medicorum concordiam, ſeu prudentem diſcrepantium principiorum et ſententiarum experientia et ratione innitentium, ad ſalutaris finem artis eo felicius et facilius obtinendum, humanoque generi imminentia mala et pericula profliganda, combinationem notat. Rationalis itaque concordia, eſt neceſſarium illud Syncretiſmi medici ſubſidium, quod a medicis prudentibus enixe deſidero, et de cuius, inter praeſentis medicos ſeculi, abſentia, plures et maximae ubique percipiuntur querelae. Firmo dehinc ſinceri in proximum amoris uinculo animi, quos diſcrepantium ratio ſtudiorum ſeiunxit, arctius uniendi. Nec citius et facilius nobis ea, quae efflagitatur, mentis tranquillitas atque unio reddetur, quam, ſi ſeparatis reiectisque omnibus, quae inutilia et ſuperflua habet medicina, ad ea ſaltem, quae nos quotidianus docet uſus, et ſana confirmat ratio, ſedulo attendamus. Ratio igitur atque experientia, ſunt praecipua certaque Syncretiſmi medici concordiaeque inter medicos rationalis fundamenta. Diſcrepantem uero, tot et tam diuerſae medici in-

dolis, in excolenda ratione, atque inſtituendis explicandisque experimentis, methodum tenent, ita ut, quot capita, tot ſenſus, et quiuis ſuo abundet ingenio; unde hic omnia ex chymicis deducit principiis, ille mechanicas allegat rationes; calidum innatum alter, alter archaeum ſibi fingit, mirasque illis tribuit facultates; hic ad ſpiritus, ad animam prouocat ille; fermentationem alius, alius putrefactionem accuſat; uiſcidum alii, alii alcali atque acidum in crimen uocant ; multis arrident ſpecifica, a multis e contra eadem penitus repudiantur; nonnulli in euacuantibus, plures in tonicis omnem medelae ſpem et fiduciam repoſitam habent ; quidam amara, nonnulli acida, panacearum inſtar adhibent; multis ſola chymica, aliis ſaltem Galenica in uſu ſunt. Sunt tandem etiam alii, qui omnia corporis exercitio adſcribunt, et promoto ſudore inſtitutaque uenae ſectione, quaeuis obtinere geſtiunt; alii e contra omnis fundamentum curationis in aliquot dierum ieiunio collocant. Aſt hi omnes non rationem atque experientiam duces ſequuntur, ſed rationes falſas ſibi fingunt atque excogitant, ac particulari fidentes experimento, ipſi experientiae, praeconceptas, quas ſemel imbiberunt, opiniones, firmiter tenendo, remoras iniiciunt. Imo plures ex iisdem non publico mortalium bono ſuos conſecrant labores, ſed inani aucupandae famae et gloriae ſtudent. Sed quis non uidet, quod uitium hoc artis ſalutaris incrementum et felix eiusdem exercitium impediat; certe, ῥᾷστον ἑαυτὸν ἀπατᾷν, ſunt uerba GREGORII, (e) καὶ οἴεσθαί εἶναι τι οὐδὲν ὄντα, ὑπὸ τῆς κενῆς δόξης φυσώμενον, nihil nempe facilius eſt, quam ut ſe ipſum quis fallat, ac putet, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, inanis aura gloriae tumens: Et alio loco idem, (f) τοῦτο, inquit, δακρύων μὲν καὶ στεναγμῶν εἴπερ τι ἄλλο τὸ πάθος ἄξιον, ὃ καὶ πολλάκις ἐγὼ κατηλέησα, εὖ εἰδὼς, ὅτι τὸ οἴεσθαι, τοῦ εἶναι τὸ πλεῖστον ἀφαιρεῖται, καὶ μέγα τοῖς ἀνθρώποις ἡ κενοδοξία πρὸς ἀρετὴν ἐμπόδιον.

(e) Orat. de ſe ipſo.
(f) Apologet. I.

id eſt, hoc uitium lacrymis quidem ac luctibus, ſi quod aliud, dignum eſt, idque ſaepenumero mecum ipſe deploraui, probe ſciens, quod opinio ipſam rem maximam partem tollat, inanisque gloriae ſtudium hominibus uirtutem deſiderantibus ſit impedimento.

IV. His uero, tanquam inutilibus repudiatis et derelictis, non famae aucupandae, ſed promouendis mortalium commodis ſeruientes, certiore experientiam methodo excolamus, nec ullum a recta ratione auerſum experimentum admittamus atque approbemus. Dehinc cum propria primum deſtituamur experientia, aliorum peritorum et fidelium medicorum obſeruationes, quae integram morbi hiſtoriam, cum omnibus ad rem pertinentibus circumſtantiis, uaria praecipue remediorum operatione, complectuntur, omni mentis attentione legamus, eaque deinceps, quae his ſimilia aut diſſimilia ipſimet experimur, addamus. Hoc autem, eo, quo deſideramus, ſucceſſu et fructu haud perficietur, ſi rationalem negligentes theoriam, iis, quibus experientia inniti debet, deſtituamur fundamentis. Exacta igitur et ſolida anatomiae, chymiae et ceterarum partium theoreticarum cognitio ante omnia comparanda. In harum uero partium cultura occupati nudis haud inhaereamus ſpeculationibus, ſed eaſdem ad uſum transferamus, quae hoc confirmatae eo certiores cenſendae ſunt. Adeoque ratio ſine experientiae ſubſidio non rite inſtrui perficique poteſt; nec experientia ſine ratione, eam, cuius flagranti tenemur deſiderio, certitudinem acquiret. Neceſſaria hoc modo, quibus genuinus et uere doctus medicus carere nequit, ſalutaris ſubſidia et fundamenta ſyncretiſmi ſunt, ſolida theoria experimentis anatomico-pathologicis et clinicis ſuffulta, certaque experientia ſufficientibus et perſpicuis corroborata rationibus. Ad haec autem nemini, niſi per ſedulam atque exactam anatomiae et chymiae culturam, accuratamque et frequentem eorum, quae in morborum generatione et medela eueniunt, obſeruationem, aditus conceditur.

V. Ne-

V. Neminem itaque, his in apricum deductis, latere poteſt, quod nos inutilibus inimici litibus, amicam cum diuerſarum medicis ſectarum conſuetudinem ineundam, fidelemque obſeruationum clinicarum collectionem et communicationem ſuſpiciendam eſſe, arbitremur. Non hinc quis iudicet, me diuerſarum praeiudiciis ſcholarum, quibus omnes omnino ſcatent, fauere; haec ad me plane non pertinent, nullumque apud me inuenient patrocinium, relinquo potius eadem ſectarum fautoribus, probe memor eorum, quae ex medicae monumentis hiſtoriae abunde conſtant, artem ſcilicet ſalutarem, multorum poſt Hippocratem ſeculorum decurſu, ſi Theophraſtum Ereſium, Cornelium Celſum et Dioſcoridem excipias, ob inutiles inaneſque, quae tum agitabantur, controuerſias, et diuerſarum ſtudia ſectarum, omnibus caruiſſe progreſſibus. Et eadem etiam dura et funeſta praeſenti ars ſalutaris ſeculo fata habet, quo quiuis homo ſtupidus atque iners, qui duo triaue uerba latina, non ſine graui orthographiae uitio, coniungere didicit, magni nomen medici affectat, et alios audacter calumniando, magnaque ac multa promittendo, ſe alterum eſſe Aeſculapium, ad egregiam corporis molem prouocans, uulgo perſuadere geſtit. Sed haec, tanquam leuioris res momenti, non attendens, fideles potius atque omni, quae in medicinae exercitio exigitur, ſedulitate et circumſpectione notatas, totiuſque morbi, a principio uſque ad finem, decurſum complectentes obſeruationes clinicas ab omnium medicis ſectarum colligendas, atque ad ſpecialis exercitium pathologiae prudenter applicandas deſidero. Hoc etiam ex ſincero, in ſalutaris emolumentum artis, affectu, moneo, ut quouis modo ſectarum diſſuadentes ſtudium, omni humanitate et beneuolentia praeiudicia grauiora experientiae et ſanae repugnantia rationi, ſenſim paullatimque ex huiuſmodi medicorum animis, contrarium rationibus docendo, atque experimentis demonſtrando, remoueamus. Sin uero idem, ea, qua indicaui ratione, impetrari nequit, relictis eorum, quas firmiter mente tenent,

praeconceptis opinionibus, ea tantummodo, quae ad experientiam magis magiſque ſtabiliendam et confirmandam conducunt, ab iiſdem repetentes, in ſuccum et ſanguinem conuertamus.

VI. Maximum hinc ars ſalutaris emolumentum atque incrementum ex ſolidiore empiricae, quae hodie omnium abiectiſſima cenſetur, ſectae cultura capiet; ſolidiorem autem huius ſcholae culturam, quae a noſtri empiricis ſeculi omnino negligitur, efflagito. Praecipuum enim et certum, ſi addas rationem, medicinae fulcrum, eſt experientia, quam tanti in medicina uſus eſſe SORANVS exiſtimauit, ut nullus dubitarit affirmare: unicum experimentum maioris eſſe momenti, quam plures rationes. Ac Romanae Parens eloquentiae, (g) nec medici, inquit, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine uſu et exercitatione conſequi poſſunt. Quorum certitudinem ex quotidiano medicinae exercitio perſpiciens SYLVIVS, (h) malim, inquit, uti medico empirico, id eſt, ſecundum experientiam praxin exercente, quam theoretico ex ſuis ratiociniis et figmentis medicinam faciente; docuit enim iam pridem omnes accuratos eorum, quae circa artem noſtram accidunt, obſeruatores, longe feliciores in praxi medicos empiricos, quam theoreticos, quique ex libris medici fiunt aut ſuis ſpeculationibus, homines in ſua dementia tanto miſeriores, quod tam multos ſecure reddant miſeros. Perſae hinc medicos ſuos, uti ex THEVETO (i) LVDOVICVS CASANOVA (k) refert, *Aragoi - abamas*, hoc eſt, patrem nobilem uocabant, cum apud

(g) Lib. I. de officiis.
(h) Prax. med. lib. 2. cap. 23. §. 110. edit. citat. p. 447.
(i) Lib. 10. cap. 12.
(k) Emblem. med. 11. §. 2. edit. quae cum Pierii et Hori Apollinis Hieroglyph. Lugduni apud Paulum Frellon ao. 1626. in fol. prodiit. p. 128.

apud eoſdem ſolis ſexagenariis remedia praeſcribere conceſſum fuerit. Plurima ſane remedia prudentemque eorum applicationem experientiae debemus, et quae tenus hac inuenta ſunt, ab experientia maximam partem dependent; quinimo, quo ea, quae iam inuenta ſunt, perficiantur, eaque quae reſtant atque in occulto adhuc haerent, inueniantur, experientia opus habemus, quae quippe uaria eaque neceſſaria ad medelas atque argumentationes ſubſidia quotidie ſuppeditat. Firmum hoc modo experientiae cum ratione coniugium, eſt filum illud Ariadneum, quo, ex grauium labyrintho morborum ad proſperae portum portamque ualetudinis deducimur. Hanc igitur, qui negligit uiam, et conſuetis abutens terminis, ad huius illiusue Doctoris auctoritatem prouocat, is, uti ingenue fatetur BARTHOLOMAEVS de MOOR, (l) cum fallitur, tum alios fallit. In quo HIPPOCRATIS (m) inhaeſit ueſtigiis, qui plura, quae in medicina habemus, egregia praecepta et conſilia, experientiae in acceptum eſſe referenda| hiſce explicat et demonſtrat: *ἰητρικῇ δὲ πάντα πάλαι ὑπάρχει καὶ ἀρχὴ καὶ |ὁδὸς εὑρημένη, καθ' ἣν καὶ τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ, καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τε ὢν, καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς, ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέει· ὅστις δὲ ταῦτα ἀποβαλὼν, καὶ ἀποδοκιμάσας πάντα, ἑτέρῃ ὁδῷ, καὶ ἑτέρῳ σχήματι ἐπιχειρέει ζητέειν, καὶ φησί τι εὑρηκέναι, ἐξαπάτηται, καὶ ἐξαπατᾶται, ἀδύνατον γάρ.* hoc eſt, in medicina uero iam pridem omnia fuerunt, in eaque principium et uia inuenta eſt, perquam praeclara multa longo temporis ſpatio ſunt inuenta, et reliqua deinceps inuenientur, ſi quis aptus idoneuſque fuerit, ut ex inuentorum cognitione ad ipſorum inueſtigationem feratur. Qui uero his omnibus reiectis ac repudiatis, aliam uiam et modum aggreditur,

(l) Cogit. de reſtaurat. med. lib. 1. edit. cit. p. 7.
(m) Lib. de Vet. med. in Oper. cum Oeconom. Foeſii edit. cit. Tom. I. p. 8.

ditur, et aliquid ſe inueniſſe iactitat, is et decipitur, et alios decipit; neque enim illud ullo pacto fieri poteſt. Nihil hinc experientiam ab arte, in pathologiae exercitio, differre, ARISTOTELES (n) ſequentibus perhibet: *πρὸς μὲν ὖν τὸ πράττειν ἐμπειρία τέχνης μηδὲν δοκέει διαφέρειν, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιτυγχάνοντας ὁρῶμεν τὰς ἐμπείρους, τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων*, hoc eſt, ad agendum nihil uidetur experientia differre ab arte, quinimo uidemus expertos magis id, quod intendunt conſequi, quam illos, qui rationem absque experientia tenent. Subiungit quoque citatus Philoſophus elegantem ſuae ſententiae rationem, *ἐὰν ὖν*, inquit idem, *ἄνευ ἐμπειρίας ἔχῃ τις τὸν λόγον, καὶ τὸ καθόλου μὲν γνωρίζῃ, τὸ δ᾽ ἐν ἑαυτῷ καθ᾽ ἕκαστον ἀγνοῇ, πολλάκις διαμαρτήσεται τῆς θεραπείας*, ſi quis nempe rationem absque experientia teneat, et uniuerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt, ignoret, ſaepenumero a recta ſanandi uia aberrabit. Tantam etiam exinde experientiae in ſalutaris exercitio artis utilitatem et neceſſitatem iudicat HIPPOCRATES, (o) ut non uereatur obſeruationum et experimentorum, quae homines in medicina omnino rudes perſpecta cognitaque habent, communicationem medico prudenti commendare atque inculcare, *μὴ ὀκνέειν*, monet idem, *καὶ παρὰ ἰδιωτέων ἱςορέειν, ἤν τι δοκέει ξυμφέρειν εἰς καιρὸν θεραπείης*. Neque ab idiotis cognoſcere cuncteris, ſi quid conferre uiſum fuerit ad medelae opportunitatem.

VII. Quemadmodum uero experimentorum notitia ſumme neceſſaria, atque experimenta, quae crebrior confirmauit uſus, merito cum grano ſalis admittenda, ita non quaeuis ſine diſcrimine experimenta, anilia nempe, ſanae aduerſa rationi, mulierculárum innitentia relationibus approbanda atque inſtituenda, qualia plura in quibusuis Practicorum libris, amuleta

(n) Metaphyſ. l. 1. c. 1. p. 1224. et 1225.
(o) Lib. Praecept. edit. cum Comment. Theod. Zvvingeri p. 95. et 96. § 22.

amuleta ſcilicet, arcana, ſpecifica, occurrunt. Huiusmodi autem experimenta ab ingenioſo AMMANNO (p) nugae, quas ne Clotho quidem, dum Colum baiulat, inſulſiores effingere potuiſſet, iure meritoque uocantur. Vnde etiam nulla, niſi rationalis experientia, locum habere debet; nec concedendum unquam inter rationem atque experientiam diuortium, ſed ea potius, quae experientiae ſubſidio eruta et detecta, per rationem diſponantur et confirmentur. Poteſt hinc, cum FERNELIO (q) loquor, experiendi occaſio atque experientiae initium deduci, aſt perfectio ipſaque experientiae fides et conſtantia, nonniſi ratione conquiritur. Quum hic remedium adhibet ieiuno, ille paſto, hic morbi initio, nec purgato corpore, ille inclinante iam morbo; hic in affectu ſimplici, ille in compoſito; hic in leuiore et perfacili, ille in contumaci; uterque experitur quidem, at non ſimiliter. Exiſtit ergo quaedam experiendi ratio, qua ſpreta, quaecunque utilia hic experietur, ille haudquaquam probabit aliaque perquiret; hinc ſane tot experimentorum procellis atque undis demergimur. Haec ſecum reputans HIPPOCRATES, (r) conſultationes medicas cum empiricis quidem utiles, aſt circumſpecte ſuſcipiendas eſſe, ſequentibus pronunciat. *ὅποι ἂν τουτέων (ἐμπειρικῶν) καὶ ἐπιστατήσαιμι, οὐκ ἂν ἐπὶ θεραπηίης ξυλλόγου, αἰτήσαιμι δ' ἂν θαρσαλέως βοηθεῖν· ἱστορίης γὰρ εὐσχήμονος σύνεσις ἐν τουτέοισι διεσπαρμένη. Τουτέων οὖν δὶ ἀνάγκην ἀξυνέτων ἐόντων, παρακελεύομαι, χρησίμην εἶναι τὴν τριβὴν, μεθ' ὑστέρησιν δογμάτων ἱστορίης· Τίς γὰρ ἐπιθυμεῖ δογμάτων μὲν, πολυσχεδίην ἀτρεκέως ἐθέλειν ἱστορέειν, μήτε χειροτριβίης ἀτρεμεότητι; διὸ παραινέω, τουτέοισι λέγουσι μὲν προσέχειν, ποιέουσι δὲ ἐγκόπτειν.* Si mihi, inquit, cum empiricis res eſſet, ita, ut eorum in medendo collegam agerem, non de curandi ratione multum cum illis conferrem, ſed

(p) Irenico p. 103.
(q) Lib. 2. de abditis morb. cauſis cap. 19.
(r) Lib. Praecept. edit. cum Comm. Zvvingeri p. 99. §. 29. et ſequ.

ſed ad illorum reſpiciens experientiam, confidenter iniungerem, ut, quod uerbis pollicentur, ipſo opere praeſtent; cognitionis enim elegantis ſcientia apud hos diſperſa reperitur. Licet igitur iidem neceſſario indocti ſint, quoniam praeceptorum cognitione carent, aſſero tamen, eorundem exercitationem fructuoſam eſſe. Quis enim praeceptorum uarietatem ſe uere cognoſcere poſſe ſperet, citra exercitationis conſtantiam? Quapropter hoc unum moneo, dicentibus quidem iſtis aures praebendas, operantium uero errores reprehendendos eſſe.

VIII. Dictatura hinc merito, tanquam praecipuum ſyncretiſmi medici obſtaculum, deroganda experientiae, nec eadem, ſiue cum Methodicorum, ſiue Chymicorum principiis combinetur, ſemper certa erit. Non plane reiicienda ſunt, quibus Methodicorum medicina innitebatur, fundamenta; et eadem ad conſtituendum firmandumque ſyncretiſmum medicum adhiberi poſſunt, cum laxum et ſtrictum Methodicorum, explicationi morborum, quorum origo ab affectis partibus ſolidis dependet, praecipue ſeruiat, et Methodici multa egregia inſtituerint et collegerint experimenta, quae maximum in arte ſalutari uſum obtinent. Maius uero emolumentum atque uberiores fructus, ex ſolidioris cultura chymiae, in artem ſalutarem redundarunt, maioraque hinc rationalis medicorum experientia cepit incrementa. Cum enim medicus ad proſperae defenſionem ualetudinis, ac morborum, quibus humana corpora affliguntur, profligationem, congruis praeſentiſſimique remediis effectus opus habeat, non melius et certius, chymia, ad haec aſſequenda et perficienda, ſubſidium, inueniet. In diſcenda uero chymia occupatus, relictis, quorum plura chymicorum ſcholae habent, praeiudiciis, inutili de diuerſis principiis doctrinae, quae uarii auctores, Paracelſus nempe, Thomas Willis, Tachenius, Helmontius, in ſcenam produxerunt, non immoreris; perinde tibi ſit, ſiue quis cum Paracelſo tria, cum Williſio quinque,

cum

cum Tachenio duo, cum Helmontio unum, afferat et ſtatuat; fuge inanes de lapide philoſophorum, liquore alcaheſt, panacea ſolari, diſſertationes; abſtrahe a Poterii, Crollii, Quercetani, et aliorum commentis, qui ſibi uniuerſales morborum cauſas, iam a tartaro, modo ab alcali atque acido deriuandas excogitarunt. Potius chymiam cum pharmacia coniunctam diſce atque exerce, et primum cognitioni ſimplicium, deinceps parandis hinc uarii generis medicamentis operam impende. Chymia itaque, ſi eandem, uti Syncretiſmi noſtri regulae requirunt, rite recteque pertractandi auiditate teneris, ea ſaltem, quae in pathologiae ſpecialis exercitio utilia et neceſſaria, omiſſis, quae alias habet furioſa, complecti debet. Hic uero medicus prudens aliorum relationibus atque experimentis haud acquieſcere debet, ſed ipſemet manum admoueat, ac repetitis experimentis, obſeruationibus et demonſtrationibus, de eruendis genuinis remediorum uiribus maxime ſit ſollicitus, ac uerum a falſo diſcernens, ſibi proſpiciat caueatque, ne in errores, praeiudicia atque auia, ab impoſtoribus ſeductus, incidat. Idem tibi conſilium ſuppeditat BOYLE, (s) hiſce uſus: male me habet, quod querelas fundere teneor, uel egregios ſcriptores, tum medicos, tum philoſophos, quos facile mihi erit, ſi opus, nominare, eo usque ſibi proximis annis paſſos eſſe imponi, ut experimenta chymica in publicum emiſerint, iisque ſuperſtruxerint, quae abſque dubio ipſi nunquam explorauerunt, id enim, ſi feciſſent, aeque ac ego falſitatem deprehendiſſent. Hiſce commotus, merito cum BARTHOLOMAEO DE MOOR, (t) iterum iterumque moneo, quod prudenti incumbat medico, et pharmaciam et chymiam, non e librorum ſaltem lectione, uerum ſedulo etiam uſu, habere perſpectam, ſi egregii quid praeſtare ſit animus. Vlterius quoque ex

(s) In Praefat. Chymiſt. ſcept.
(t) Cogit. de inſtaur. med. l. 3. ed. cit. p. 426.

ex citati conſilio medici, (u) chymiae dictatura et tyrannis abrogetur, quae triplex, ſi nempe exiſtimemus, explicationem φαινομένων et cauſarum naturalium, omiſſis et reiectis aliis, terminis chymicis optime fieri. Deinde, ſi putemus, eadem illa corpora, quae chymiae ope, ex aliquo ſubiecto eliciuntur, ante illam praeparationem, in eodem fuiſſe, eodem modo. Denique, ſi ſola haec remedia ad morborum curationem adhibeantur. Sedulo praeterea attende et circumſpectus ſis, ne chymiae plus, quam par eſt, tribuens, de aureo uellere accerſendo cogites, ac panaceam ex auro aliisque pretioſis eruendam quaeras; aliena te cautum et prudentem reddant pericula, alias ſimiles cum iis, quas auri ſacra fames torquet, tuae temeritatis poenas lues. Audi et obſerua, quae multiplici edoctus experientia, de huiusmodi hominibus refert ERASMVS, (x) ad quos, (nempe homines ſtultos, quorum antecedentibus facta mentio,) mihi quam proxime uidentur accedere, qui nouis et arcanis, rerum ſpecies uertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam eſſentiam uenantur. Hos adeo lactat mellita ſpes, ut neque laborum, neque impenſarum, unquam poeniteat, miroque ingenio ſemper aliud excogitent, quo ſe denuo fallant, ſibique ipſis gratam faciant impoſturam, donec, abſumtis omnibus, non ſit, quo iam fornaculum inſtruant. Non deſinunt tamen iucunda ſomniare ſomnia, ceteros pro uiribus ad eandem felicitatem animantes. Cumque iam prorſus omni ſpe deſtituuntur, ſupereſt tamen una ſententia, abunde magnum ſolamen, in magnis et uoluiſſe ſat eſt. Talis uero peruerſa chymiae cultura a ſcopo noſtro plane aliena cenſenda, cum nullum in praxi medica habeat emolumentum, nec Syncretiſmo noſtro ſtabiliendo faueat, ſed eundem potius cum ſana ratione atque experientia ſubuertat. Melius uero de illa chymia

(u) Lib. citat. p. 409.
(x) In Encomio moriae p. m. 149.

chymia iudicium ferendum, quae, uti antecedentibus innui, cum pharmacia iuncta, poſt traditam ſimplicium hiſtoriam, circa remedia ex iisdem congruo modo paranda occupata eſt. Haec non uidetur attendiſſe BARTHOLOMAEVS DE MOOR, (y) qui ſuae ſupra citatae immemor opinionis, medicinae cultoribus ſuadet, ut chymiam a limine ſaltem ſalutent, cum tamen, rationalis ſubſidio chymiae, uires omnis generis remediorum eruamus, horumque praeparationem diſcamus.

IX. Non leuia ſane cenſenda ſunt emolumenta, quae ſpecialis exercitio pathologiae chymia ſubminiſtrat, haec uero ad rationalem experientiam et certam theoriam conſtituendam et confirmandam non ſufficiunt, pluribus adhuc, anatomia cumprimis, opus eſt. In medicina quippe, de ſanitate et uita humana eiuſque conſeruatione agitur. Vita uero humana a mentis in corpus, et corporis in mentem actione, ac mutuo, quod inter has natura diuerſiſſimas ſubſtantias intercedit, commercio dependet. Quod mentem attinet, eiuſdem eſſentia et natura nobis maximam partem ignota, et quid de eadem ſcimus, ex actionibus, quas cum corpore communes obtinet partim, partim per illud exercet, exploratum habemus, nec eiuſdem morbi, ſi idiopathici, ullam aliam, quam moralem et politicam admittunt medelam. Longe plura e contra in corpore humano, excellentiſſimo atque artificioſiſſimo totius uniuerſi ſubiecto, multiplicis nimirum organa naturae et magnitudinis, cum uariae, quibus ſolida rigantur, liquoribus indolis deprehendimus, a quibus bene conſtitutis liberum functionum uitalium exercitium et ſanitas, laeſis uero et deprauatis, omnis infirmitates generis proueniunt. Nulla hoc modo, his ad rationis atque experientiae trutinam expenſis, alia eaque certior in arte ſalutari uia occurrit, per quam, ſufficientem corporis humani, et partium, quibus con-

(y) Cogit. de inſtaurat. med. lib. 3. edit. citat. p. 438.

ſtat, ac functionum, quas exercet, notitiam comparare poſſumus, quam per frequentiorem animantium uiuorum, ſanorum, et cadauerum diuerſis morbis defunctorum ſectionem atque inſpectionem. Alias certe, ſi hoc negligas, idem tibi eueniet, quod SEMPRONIVS GRACHVS (z) de quibuſdam medicis anatomiae expertibus refert, qui hepar in thorace, pulmones ſub diaphragmate, medio inter hepatis et pulmonum uiſcera loco, cor quaerunt, uterum pro excreſcentia carnoſa, cartilaginem enſiformem paulo longius protuberantem pro ſtruma petreſcente, neruos pro uaſis lacteis habent, alioſque, in demonſtrationibus occupati, idem perſuadere uolunt. Haec omnia uero a noſtri fundamentis Syncretiſmi maxime aliena ſunt, qui quippe exactam corporis humani tam ſani, quam aegroti cognitionem deſiderat atque urget. Vnde uero eadem repetenda; ex ſedulo cadauerum examine, perſcrutatione, diuerſorumque liquorum in uaſa iniectione. Decet uero omnis generis cadauera, nempe quae antea perfecte ſana, enſe, laqueo aliaque uiolenta ratione derepente e uiuis ſurrepta fuerunt, aut quae uariis laborarunt morbis, cultro anatomico ſubiicere, quo hinc ea, quae tam ad naturalis quam praeternaturalis cognitionem ſtatus neceſſaria ſunt, diſcamus. Demonſtrationibus, inquam, in anatomiae exercitio, inniti debemus, nihilque, quod ſenſibus aduerſum, admittere. Ex hac claſſe ſunt, certae pororum, quos in his illiſue organis ſecretoriis deprehendimus, figurae; eaedem enim, cum oculis uſurpari nequeant, nec ullo alio poſſint euinci ſubſidio, merito figmentis annumerandae. Satis quippe notum eſt, noſtri corporis compagem, uti recte notauit BARTHOLOMAEVS DE MOOR, (a) longe eſſe ſubtiliorem, maiorem pororum diuerſitatem, magiſque ſtupendam particularum texturam, quam ut ad triangulum, paralle-

(z) Medico huius ſeculi Sect. 2. p. 160.
(a) Cogit. de Inſt. Med. l. 1. ed. cit. p. 5.

rallelogramma, ſphaeram, cubum, etc. reduci queat. Egomet quidem magni facio rationalem principiorum mathematicorum, ad ſalutaris culturam atque exercitium artis, applicationem, ita, ut quod olim Platonis ſcholae inſcriptum fuiſſe legimus, nempe, ἐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, ipſis auditoriis medicis ac theatris anatomicis inſculpendum eſſe iudicem. Imo ſemper firma teneamus memoria illud Pythagoreum: σχῆμα καὶ βῆμα, quo innuere uoluerunt, quod per ſchemata mathematica, in erudienda iuuentute, ad ſuperiora aſcendendum ſit. Sed huiuſmodi ſpeculationibus male applicatis, ad conuellenda dogmata, quae ſaepius repetita experientia confirmauit, non abuti debemus. Longe aliter autem ſeſe res habet cum demonſtrationibus anatomico-phyſiologicis et pathologicis. Nec inani illa occuperis perſuaſione, quod partes ſubtiliores et minores, tanto, quo a multis fit, ſtudio, non perueſtigandae et deſcribendae ſint. Defendit hanc, quae ſubtilior dicitur Anatome, egregiis argumentis, Celeberrimus et Doctiſſimus HEISTERVS, (b) uir de medicina et chirurgia optime meritus. Nihilo ſecius huiuſmodi obſeruationum et demonſtrationum anatomicarum utilitatem, teſte SEMPRONIO GRACHO, (c) in dubium uocauit ARISTIDES BONONIENSIS, qui accuratiorem anatomiam, parum aut nihil plane ſalutaris exercitio artis ſeruire, eoſque, qui medendi ſtudio flagrant, potius hinc turbari, quam iuuari, perhibuit. Ex hoc ſua hauſit B. STAHLIVS, (d) qui, uti pluribus meorum ſcriptorum locis (e) indicaui, ipſiſque citati medici uerbis pro-

(b) Diſſert. de Anatomes ſubtilioris utilitate, quam Helmſtadii 1728. Dn. D. Hahn pro gradu Doctoris habuit.

(c) Med. huius ſeculi Sect. 2. p. 161.

(d) In Paraeneſi ad aliena a medica doctrina arcendum p. m. 69.

(e) Diſſert. Epiſtol. Anthropol. praemiſſa, et diſſ. de gland. in plur. uiſcer. abſentia p. 25. et ſequ. §. 19. et 20.

probaui, non erubuit, Dictatoris more, ſeuere aſſeuerare: quod multi hodie in anatomiae cultura ſine ullo optato euentu fruſtra deſudarint, cum ſequentibus, magis inſano quam rationali ſimilis homini neget: ex uniuerſa ſtructura quicquam ſubeſſe, quod uere ad medicum pertineat, aut humani corporis cognitionem medico eximiam utilitatem afferre. Vnde tandem nouus ille medicinae Dictator concludit: imo ita demum a medicis etiam abeſſe uolo et iubeo; addere merito debuiſſet: ſtat pro ratione uoluntas, ſufficit, quod egomet idem iubeam. Sed ignoſcent mihi manes Stahliani, ſi huiuſmodi anile mandatum repudians, iis me perficiendis morigerum ſiſtam, quae immortalis Numinis honori proximique commodo promouendo conueniunt; nam nimis ſuffeni ſunt, dico cum FRANCISCO de le BOE SYLVIO, (f) qui ſe ſolos, aut prae aliis omnibus ſapere putant, exiſtimantque, ſibi ſolis competere in conſtituendis diſciplinarum fundamentis dictaturam et ius dandi leges aliis. Manet certe et manebit anatomiae apud medicos ſanam ſequentes rationem atque experientiam ſuus honos atque utilitas, quia medicus exactiore corporis humani cognitione deſtitutus, ne quidem medici nomine dignus eſt, et pro medicinae proſtibulo merito habetur; ars enim non habet oſorem, niſi ignorantem, eaque, quae ardua ſunt, quaeque a multis hinc negliguntur, etiam exinde, temeraria plane concluſione, pro inutilibus reputantur, quibus plane quadrat egregia FONTANELLI(g) ſententia: *on traite volontiers d'inutile ce qu'on ne fait point.*

X. Triſtia omnino ſunt praeſentia artis ſalutaris fata, in quae Stahliomaniae culpa incidit. Non omnia, quae ab huius ſectae aſſeclis committuntur, uitia, B. STAHLIO atque eiusdem dogmatibus tribuenda, ille enim plura, quae illius fautores propugnant, tanquam abſona plane damnat. Imo

(f) Prax. med. lib. 3. cap. 3. §. 265. ed. cit. p. 497.
(g) In Praefat. hiſtor. Acad. Pariſ. de ao. 1699.

Imo B. STAHLIVS, egregius erat empiricus, ſeduloque ad ea, quae quotidianus docebat uſus, reſpiciens, praxin ab eiusdem theoria omnino alienam exercebat. In eo etiam multi eundem cum fructu ſecuti ſunt, qui colligendis obſeruationibus atque experimentis operam nauantes ſe ab aliis huius ſectae auctoribus maxime diſtinguunt. Ex eorum claſſe ſunt Cl. PELARGVS et NENTERVS, quorum ſcripta, cum maxime perſpicua ſint, et non adeo Stahlianae praeiudiciis theoriae inquinata, ſed maximam partem accuratas morborum deſcriptiones atque obſeruationes clinicas comprehendant, prudenti medico commendata eſſe debent. Ipſe uero Stahlianiſmus, prouti iam excolitur, eſt omnium ſectarum medicarum, quae unquam fuerunt; abiectiſſima et pernicioſiſſima. Nam ipſe Stahlius ſaepius, quid uoluerit, ignorauit, nec ſe ipſum ſemper intellexit, quod ex fideli accurataque ſcriptorum atque in illis occurrentium ſententiarum collatione atque examine patet. Quid igitur ab eiusdem aſſeclis expectandum, qui Stahlii mentem plane non aſſequuntur, nec eiusdem ſcripta, ita, ut eadem quoque intelligant, legere poſſunt. Quot enim reperiuntur Stahliani, qui latinae expertes linguae, ne duos quidem tresue terminos logicos et metaphyſicos, quibus ſcripta Stahliana referta ſunt, cognitos perſpectosque habent? Quot ſe Stahlianos profitentur, qui nunquam Stahlium, uel alium Stahlii inſiſtentem ueſtigiis audiuerunt, uel eorum ſcripta legerunt atque examinarunt? Noui ita homines, qui a nobis ob diſſolutum perditumque uitae genus relegati, ſocordes, imperiti, licet eadem manſerit uiuendi ratio, uno alteroue menſe praeterlapſo, artis ſalutaris doctores creati atque ad exteras gentes ablegati fuerunt, ut ibidem priuilegium impune occidendi, illis a Stahlianae profeſſoribus ſectae tributum exerceant. Exercent quoque hoc priuilegium egregie, nam ubique recenti Stahlianorum methodo medendi cumulantur funera. Nuper modo iuuenis diarrhoea laborans, deglutitis bis, ex conſilio medici, pilulis Stahlianis, in

dyſenteriam incidit, eaque miſer uehementiſſimis excruciatus doloribus periit. Octo circiter abhinc menſibus praeterlapſis, talis Thraſo Stahlianus ad aegrotum phtiſi pulmonali laborantem acceſſitus illi proſperae reſtitutionem ualetudinis breui non modo perficiendam promiſit; ſed deinceps etiam ad eundem, rebus in peius omnino mutatis, praeſente perfecto maraſmo, ſudore frigido colliquatiuo et conuulſionibus, dixit: bono ſis animo, iam algida acceſſit febris, quam deſideraui et meis procuraui remediis, nunc certa affulget reconualeſcentiae ſpes; ſed uix illud κωφὸν πρόσωπον Stahlianum hinc diſceſſerat, cum aegrotus omnibus omnino uiribus ſpoliatus ſupremum obiret diem. Recentiſſimum eſt exemplum, ubi medicus Stahlianae praeiudicio theoriae occupatus aegroto febre intermittente quartana ex uictus uitio contracta laboranti, et hinc nauſea, appetitu proſtrato, cardialgia, abdominis intumeſcentia, ructibus amaris diuexato, emetici, quod antecedens praeſenſque indicabat ſtatus, uſum diſſuaſit; et licet, ſuccedente uomitu ſpontaneo, melius ſe habuerit aegrotus, ac commemorata uentriculi incommoda aliquantulum remiſerint, noluit tamen aegroti petito annuere, neſcio quam naturae praetexens intentionem, emetico non turbandam. Aegrotus uero huius peruerſae medelae tandem pertaeſus, ſanae principiis rationis morem gerens, accerſito ex officina publica emetico, ab inhaerentibus uentriculo ſordibus, atque iis, quae hinc oriebantur, incommodis, febre praeſertim, liberatus fuit, atque anilia medici ſui praeiudicia irridens, perfecta iam fruitur ſanitate.

XI. Sed haec, regeris, non Stahlianiſmi, ſed Stahlianorum ſunt errata et uitia; et uti quaeuis medicorum ſcholae bo os maloſque, peritos atque imperitos hab uerunt artifices, ita etiam Stahliani docti indoctique reperiuntur. Admitto ui que hoc diſcrimen, idque, iam propoſitis antecedente capite exemplis demonſtraui, alioque olim ſcripto (h) indicaui.

(h) Diſſertat. de glandul. in plurimis uiſceribus abſentia §. 20. p. 26.

ui. Ipſe nihiloſecius Stahlianiſmus, cum rationali deſtituatur theoria, contraria experientiae foueat dogmata, et neceſſaria, quae ſolidiori artis ſalutaris culturae ſeruiunt, ſubſidia repudiet, tanquam ſecta Syncretiſmo et prudentiae medicae aduerſa, merito proſcribendus. Obſtupui plane per literas certior factus, quod quidam ex Stahlianorum cohorte ſint, audacter pronunciantes: menſis ſpatium ad totam artem ſalutarem addiſcendam ſufficere. Maiore uero commotus fui triſtitia, obſeruans, quibus hoc confirmarent, experimenta. Ea uero, in docendo, utuntur methodo, primum medicinae cultori inculcatur, animam eſſe principium uitae, a quo omnis actio naturalis, omniſque in corpore eueniens mutatio, ſanitas et uita, morbus ac mors dependeant, ita ut hoc modo unica omnium hominum ſit natura, unicumque temperamentum, quod perlepido ſimili a paſcuis ouium deſumto nuper profeſſor quidam Stahlianis addictus principiis in lectionibus ſuis illuſtrare et confirmare uoluit, perhibens: quod, uti plures oues, (cur ne etiam uerueces Stahliani?) in unis iiſdemque paſcuis uitam degunt, omneſque iiſdem fruuntur, ita una etiam eademque diuerſorum hominum natura ſit. Egregium ſane argumentum et ſimile, quod optime in Stahlianos quadrat, nam plures eorum ouibus et ueruecibus ſtupidiores ſunt. Egregiae illi theoriae mox praecepta practica adiunguntur; hic iterum cauſa omnium morborum materialis ab humorum abundantia deriuatur, unde deinceps ad eandem diminuendam, uel fortior motus, et huius ſubſidio promotus ſudor, uel uenae ſectio, commendatur. Non ſine dolore iuſtaque mentis exacerbatione, ex amici, quas ad me dederat, literis cognoui, ab huiuſmodi medicis uehementiorem motum ad quorumuis medelam morborum promiſcue commendatum fuiſſe, miſeriſque iniunctum aegrotis, ut eundem per plures horas continuarent; ſed euentus expectationi non peraeque ſatisfecit, cum tres aegroti phtiſi pulmonali laborantes hac methodo perierint. Motus utique, uti pluribus euicit Ill.

HOFFMANNVS, (i) optima eſt corporis medicina, ac motus magna, prouti erudite demonſtrauit Nobilis Dominus de BERGER, (k) ſunt commoda; aſt non omnibus motus idemque motus genus conducit, aliis potius huius loco quies imperanda: Expende eorum aegrotorum aegrotarumque ſtatum, qui phtiſi, haemoptyſi, haemorrhagia uteri, et morbis ab humorum colliquatione dependentibus laborant, hic certe motus omnia exaſperabit ac deteriora reddet. Nihil iam dicam de pulſu, quem in acceſſione et ſub frigore febrium intermittentium, tardum et rarum eſſe, contra quotidianae ſuffragium experientiae STAHLIVS, (l) docuit. Non attingam acidum, quod bili, refragrante chymia, Stahliani tribuunt, et nihilo ſecius acida remedia in bilioſarum cura febrium praeſcribunt. Tranſeo funeſta, quae promiſcuo pilularum Stahlianarum uſu inſtituta fuerunt, experimenta. Non commemorabo anilia, quibus, ex Stahlianorum mente, epilepſiae et aliorum morborum cura abſoluenda, ſpecifica. Antecedentibus iam probaui, a Stahlio exactius anatomiae ſtudium reprobari. Eandem quoque idem(m) de chymia tulit ſententiam, haec ſcribens: adhuc alienior eſt ab ulla ſpe boni ac ſolidi uſus ad medicam theoriam chymia. Quid uero eſt medicina, ſi chymiam atque anatomiam demas? Quae tum theoria atque experientia medica habet ſubſidia?

XII. Haec omnia, quibus Stahliana ſecta abundat, praeiudicia atque errores Syncretiſmo ac prudentiae medicae maxime

(i) Diſſert. Inaugur. ao. 1701. de motu optima corporis medicina Halae habita.

(k) Diſſert. de commodis exercitationis corporis, quam ao. 1705. pro Licentia Zellmann Vitembergae habuit.

(l) Diſſertat. de tertiana febris genium uniuerſum monſtrante, cap. 4. confer. Nob. Dom. de Berger. diſſert. de laude febris merito ſuſpecta §. 6. p. 9. et ſequ.

(m) Paraeneſ. de alien. a medic.] arcendis. p. 69.

maxime infeſta ſunt, nec unquam ab iis Stahlianis, qui ſtupidiores ſunt, ac quorum plures reperiuntur, rationalis certaque ſperanda aut expectanda concordia, iidem enim Stahlium atque eiusdem praeiudicia, oraculi inſtar, ſuſpicientes, alios aliorumque dogmata plane deſpiciunt et negligunt, ac nullam experientiae et ſolidae theoriae rationem habentes, alios genuinos medicos calumniis et conuitiis laceſſunt. Habuit haec fata Cl. BVRGRAVIVS, idem expertus eſt doctiſſimus WERLHOFIVS, nec alia fuit ingenioſiſſimi BVRGMANNI ſors, evenit etiam hoc mihi, qui nuper ab Hartmanno, ſtupido Stahliomaniae defenſore, innumeris conuitiis affectus fui. Iuſtum hinc iterum illi Erffurtenſi Libitinae antiſtiti pretium ſtatuere deberem, ſed non e re eſſe iudico, huic pſittaco Stahliano, qui quidem roſtrum Stahlianum obtinet, eiusque uocem imitatur, Stahlii uero mente et prudentia deſtituitur, reſpondere, cum eam, qua dignus eſt, reſponſionem, illi iam in diſſertatione, (n) quam oppugnauit, Socratis uerbis dederim. Quibus addendum, quod egomet aliis iam ſcriptis Stahliomaniae errores abunde demonſtrauerim, unde nihil aliud deſidero, quam ut beneuolus lector, qui mentem praeiudiciis liberam poſſidet, mea reſpiciat argumenta, eaque cum dicti hominis impudentis imprudentiſque reſponſionibus conferat. Nam quo aliquot ſchedulas replere poſſet, iam quaedam ex mea anthropologia, iam ex aliis a me editis ſcriptis decerpta impugnauit, eaque, quae coniungenda ſunt, ſeparauit, ſeparanda coniunxit, et peregrina, malitioſi more calumniatoris, immiſcuit, nec tam argumenta mea et ſententias, quam ſuas male deductas conſequentias oppugnauit, et loco rationum ac demonſtrationum ſolidarum, iam ad Sennerti, iam ad Sperlingii aucto-

D 3 ritatem

(n) Diſſert. de Peruerſa Pathologiam diſc. doc. atque exerc. methodo, §. 19. p. 34. lin. 23. et 24.

ritatem prouocauit. Sed quinam illi fuerunt, nonne homines erroribus obnoxii? Eleganter atque accurate huiuſmodi homines, eorumque mores, qualis modo adductus pſittacus Stahlianus, ſequentibus deſcripſit SYLVIVS, (o) quamuis me non fugiat, multum promouere ambitioſam docentis exiſtimationem, ſi Pythagorae ad inſtar, diſcipulos et auditores habeat credulos et paſſim ſeruiliter dicentes: ἀυτὸς ἔφα; in quorum proinde mentibus, tanquam in tabula raſa, quaeuis pro lubitu et hiſtorica fide arripienda, et mordicus poſtea contra quoſuis defendenda inſcribat, praefero tamen Ciceronis ingenuitatem, qui indigne fert eos, qui tantum requirunt, quid quaque de re ipſe ſentiat, addens, illos curioſius id facere, quam neceſſe eſt, non enim tam auctoritatis in diſputando, quam rationis momenta quaerenda ſunt. Ita certe, nec aliter, idem cum lepido, de quo ſermo eſt, Stahliomaniae defenſore comparatum, qui maioris Stahlii auctoritatem, quam proximi utilitatem aeſtimat, ac hinc exuta humana natura, Stahlii agit ſimiam. Plane hinc non miror, quod haec Stahlii ſimia, alia penitus atque a noſtra controuerſia omnino aliena afferat, nam ita idem pſittacus Stahlianus terminos technicos et genuinum eorum uſum ignorans reprehendit, quod egomet perhibuerim, pathologiae ſpecialis fundamentum, eſſe methodum medendi, ac pathologiam ſpecialem, unum idemque cum therapia et praxi clinica ſignificare. Haec pro magno crimine ab illo homine reputantur, perhibente, haud leue inter pathologiam et praxin clinicam diſcrimen intercedere. Eſt utique inter pathologiam generalem et praxin clinicam differentia, non autem inter pathologiam ſpecialem et praxin clinicam; cum enim pathologia ſpecialis ex uocabulis graecis πάθος et λόγος deducta, uti ex quibusuis fere ſyſtematibus medicis conſtat, quorumuis morborum cum

(o) Praefat. ad lectorem §. 4. edit. cit. p. 5.

cum ſuis cauſis et ſignis, deſcriptionem ac medelam notet? animaduertes, ſi adhuc quaedam ſanae rationis ſcintillulae tibi reſtant, quod pathologia ſpecialis unam eandemque artis ſalutaris partem cum praxi clinica indicet, et quod huius fundamentum methodus medendi, nempe ars cum ratione inueniendi et cum iudicio applicandi remedia, exiſtat. Quid enim in praxi clinica magis exigitur, quam prudens congruorum remediorum ſelectus atque applicatio. O puer, puer, diſce uerba prius, deinceps ad controuerſias dirimendas te accinge! Sed haec, reſpondes, non ſunt neceſſaria, atque ad puerorum ſcholaſticorum ſubſellia pertinent. Et haec pariter mea eſt ſententia, ſtudiorum enim humaniorum cultura non tum demum ſuſcipienda, quando altiora tractanda, a teneris haec diſcenda annis, continuatoque promouenda exercitio. Si haec obſeruaſſes, pſittace Stahliane, non tam rauca incultaque tibi uox eſſet, nec ea, quae tanquam maxime utilia et neceſſaria ad ſalutaris cognitionem atque exercitium artis a me commendata, et ab aliis prudentibus medicis approbata fuerunt, repudiaſſes; ſed quid ſui amaracus? Dum haec ſcribo, rumor, iſque non ἀδέσποτος, ad meas peruenit aures, quod alius, ſatis notus peritorum medicorum cauillator, cuius egregiam diſputandi methodum et ſapientiam anilem ingenue deſcripſit Cl. BVRGMANNVS, (p) huius, ſub nomine Hartmanni, contra me editi ſchediaſmatis exiſtat auctor. Quicquid ſit, ſiue hic ſiue ille idem elaborauerit, ego certe hinc plane non commoueor, ſed ſaltem illud moneo, ut ambo illi pſittaci Stahliani prius diſcant praxin medicam rite exercere, atque iſta ſequantur et peragant, quae eos ſana ratio atque experientia docet. Pueriliter namque ſibi adulantur, ſunt SYLVII (q) uerba, quotquot ſua non probata, ſed

(p) in Praefatione partis II. examinis ſuccincti hypotheſeos Stahlianae p. 6.

(q) Praxeos medicae lib. 3. cap. 3. §. 265.

ſed ficta duntaxat et gratis ſuppoſita, uel aſſumta, pro ueris habere uolunt praeiudicia. Valde hinc cum citato auctore (r) doleo, quod huiuſmodi Stahliomaniae fautores reperiantur, qui, poſtquam publice docendi facultatem obtinuerunt, ac ſi Dictatoriam Cenſoriamque poteſtatem ſimul nacti eſſent, de quibuſuis, quamuis ſaepe numero non minus imperite, quam inſcite uociferentur, et clamoſa ſua deblateratione famam ſibi apud rerum ignaros et rudes comparare, aduerſariis uero terrorem incutere, ac ſilentium imperare ſatagant. Malunt ita commemorati ueritatis ac rationalis medicinae aduerſarii in teterrimo contabeſcere errore, quam ſanae menti atque experientiae aſſenſum praebere. Imo iidem ex mera peruicacia ueritati refragantur, hoc Ariſtophanis utentes: *ἡμᾶς ȣ̓ πείσεις, ȣ̓δὲ ἂν πείσῃς, κ̀ ταῦτα μὲν δὲ ταῦτα.* Adeone omnem omnino exuiſtis frontem? adeone uobis placet, in hac mundi canitie, in hoc literarum meridie, adeo coecutire peruerſe, et perſpicuis notisque relictis, obſcura ignotaque ſequi? Verum enim uero faciliorem aethiopis iudico dealbationem, quam ueritatis ab huiuſmodi hominibus confeſſionem; oleum certe et operam in refutandis eorum commentis perdimus, nullaque emendationis ſpes de huiuſmodi hominibus reſtat, cum, uti habet Regum Sapientiſſimus, (s) *ἐὰν κόπτῃς τὸν ἄφρονα ἐν ὁλμῷ ἐν μέσῳ τῶν ἐμπτισσομένων ἐν ὑπέρῳ, ἐν συνεδρίῳ ἀτιμάζων, ȣ̓ μὴ περιέλῃς τὴν ἀφροσύνην ἀυτȣ̃,* ſi nempe ſtultum in mortario, quaſi ptiſanas, deſuper feriente pilo, contuderis, eiusque turpitudinem praeſente ſynedrio oſtenderis, non tamen ab eo ſtultitia eius aufferetur. Dehinc tibi non mirum uideatur, pſittace Stahliane, quod durioribus terminis et uerbis erga te uſus ſim, dignum enim patella operculum fuit, atque in eo pariter, Scapham Scapham dicens, Salomonis (t) conſilio obtemperaui,

(r) in Praefat. Oper. ad Lectorem edit. cit. p. 4. § 6.
(s) Prouerb. Salomonis cap. 27. uerſ. 22.
(t) Prouerb. cap. 26. uerſ 5.

peraui, *ἀλλὰ ἀποκρίνου ἄφρονι κατὰ τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ, ἵνα μὴ φαίνηται σοφὸς παρ᾽ ἑαυτῷ*, hoc eſt, reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe uideatur.

XIII. Neceſſarium hoc modo, cum rationalis concordia apud deſcriptae medicos ſectae locum non inueniat, ut ipſa maxime utilia et neceſſaria artis ſalutaris praecepta contra illorum inſaniam defendamus. Videntur haec ipſi a nobis (u) commendato conſilio et monito repugnare, dum ſectarum diſſuadentes ſtudium, omnes genuinos et prudentes hortamur medicos, ut quauis humanitate et beneuolentia praeiudicia experientiae et rationi aduerſa, contrarium rationibus docendo, atque experimentis demonſtrando, ex hominum animis remoueamus. Hoc utique faciendum, ſed quid tum, ſi hiſce peractis, loco effectus deſiderati, loco emendationis et reſponſionum ſolidarum, inania uerba et conuitia, quibus nos obruunt aduerſarii, inuenimus. Obſeruanda hic HIPPOCRATIS (x) regula, *ἰατρὸς*, monet idem, *τοῖς τὴν ἰητρικὴν αἰσχροποιεῦν προθυμέουσιν ἐναντιώσεται, θρασυνόμενος μὲν διὰ τουτέους, οὓς φέγει, εὐπορέων δὲ διὰ τὴν τέχνην, ᾗ βοηθεῖ, δυνάμενος δὲ, διὰ σοφίην, ᾗ πεπαίδευται*, hoc eſt, medicus ſophiſtis, (quales ſunt *κατ᾽ ἐξοχὴν* Stahliani,) qui artem ſalutarem corrumpere et dehoneſtare conantur, omni ui reſiſtere debet; ac primum bono ſit animo propter eos, quos inſectatur, (ſunt enim medicinae proſtibula atque excrementa,) deinceps non deerunt illi argumenta per artem, cui et cuius ſubſidio opem fert, et huiuſmodi impoſtoribus ſe opponit; potens demum erit, per ſapientiam, rationalis pediſſequam medicinae, idem perficiendi.

XIV. Quale uero capiendum conſilium, ſi cum tali pſeudomedico una ad aegrotum uocaris; decet tum Cretenſes imitari ac Syncretiſmum exercere, uel EPICTETI

(u) diſſert. praeſent. cap. 5. p. 13.
(x) De arte, edit. cum Comment. Zwingeri p. 1.

regula tibi tum ſit commendata : ἀνέχου καὶ ἀπέχου, aut ſuſtine, aut abſtine. Nam maxime a noſtri regulis Syncretiſmi abhorret : cum altero medico, coram atque ante aegroti lectum oculosque, lites mouere, et de congruis ac neceſſariis artis medicae principiis diſputare. Nec etiam manifeſti atque enormes, a quibus grauius aegroto imminet periculum, errores approbandi, quos in praeſcribendis remediorum formulis haud raro committi animaduertimus. Ea de cauſa melius eſſe iudico, omnem cum huiusmodi medicis, quales ſunt antecedentibus deſcripti pſittaci Stahliani, (nam alios prudentes et ſana ratione utentes Stahlianos excipio,) communicationem, ſi fieri poteſt, euitare, aut, ſi ineuitabilis rerum et ſtatus, in quo uiuimus, neceſſitas, idem non permittit, ab omnibus omnino controuerſiis, ſi hoc data concedant conſilia, abſtrahere, ac potius morbum, morbi cauſam, eiuſque principium et progreſſum, usque ad praeſentem, in quo aegrotus conſtitutus eſt, ſtatum, quoad minimas circumſtantias examinare, ac deinceps congrua et morbo extirpando ſufficientia remedia praeſcribere. Absque contentione igitur, uti praecipit WECKERVS, (y) et altercatione ac inuidia, non priuati quaeſtus uel gloriae, ſed aegri ſalutis et ueritatis cauſa, conſilium dato, admittito. Ac medicos collegas, uti idem (yy) monet, tum alias, tum praeſertim in conſultationibus, absque inuidia et ſugillatione audire decet. Nullus igitur liuor te a fideli accommodatorum remediorum communicatione auocet, ſed, quid ex re ſit, potius indices et praeſcribas; hominis nempe intereſt, uti AHASVERVS FRITSCHIVS (z) loquitur, beneficio hominem affici ; nos non ſolum nobis, ſed et patriae, natos; quid habes, o homo, quod non accepiſti ? Beatius eſt, dare, quam

(y) In ideis Hippocratis. (yy) eodem libro.
(z) Med. peccaminoſ. concluſ. 21.

quam accipere. Hinc etiam tam exoſa eſt medicorum inuidia SCRIBONIO LARGO, (a) ut his, iisque durioribus uerbis, medicos ſui moneat officii; qui experti ſunt, inquit idem, remediorum utilitatem, denegant autem uſum, ualde culpandi ſunt, utpote qui crimine inuidiae flagrant: quod malum praecipue medicis inuiſum eſſe debet, in quibus, niſi plenus miſericordiae et humanitatis animus eſt, omnibus hominibus inuiſi ſunto.

XV. Non ſaltem, in commercio, quod tibi cum Stahlianis quandoque intercedit, τὸ ἀνέχου καὶ ἀπέχου EPICTETI obſeruandum, ſed maxima quoque huius regulae, in conſuetudine et communicatione, cum aliarum medicis ſectarum, utilitas et neceſſitas eſt. Quoties enim duo treſue conuocantur medici, qui diſcrepantes de morbo eiuſque cauſa et methodo medendi opiniones fouent; hic temperantia et ſalia fixa neutra, ille ſalia uolatilia oleoſa, ſic dicta bezoardica praeſcribit; uenae ſectionem commendat alius, alius, ut largiore uini uſu uires foueantur, ſuadet; hic, ut corpus purgantibus aut diaphoreticis et diureticis ab impuritatibus liberetur, monet, ille uero haec diſſuadens, ſolam a potulentis atque alimentis abſtinentiam ſufficere, perhibet; alius ſenex, iuuenis alius; crapula turgidus et madidus alius, alius ſobrius ſibique relictus; hunc ille amat, illum econtra odio proſequitur, unde cum his perpetua concordia, cum illis conſtans bellum; hinc conſultationes medicae raro ſalutares ſunt, et perſaepe exoptato deſtituuntur ſucceſſu, amor enim odiumque, ſunt uerba PTOLOMAEI, (b) ne uera eueniant iudicia, prohibent, augent ſiquidem minima, et maxima minuunt. Si ex his igitur difficultatibus atque anguſtiis eluctari geſtis, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, hoc eſt, plures perfer moleſtias, quo tibi mens

 recti

(a) In Praefat. ad Caium Iulium, Caliſtium.
(b) Centiloqu. ſentent. 12.

recti conſcia maneat, aegrotique promoueas incolumitatem et ſalutem.

XVI. Magno autem fortique ſis animo et conſilio, ſi imprudentum caterua medicorum, te praeſente atque audiente, aliquid ſuſcipiendum decreuit, quod praeſentiſſimam et certiſſimam aegrotis perniciem affert; quale quid ex HARVAEO, de quorundam conſultationibus medicorum, BOHNIVS (c) refert, qui coniunctim ex deliberationibus antea ſuſceptis, ſinguli diuerſis aegrotis, duas mercurii dulcis drachmas, bis quotidie, idque per aliquot dierum ſpatium continuando, exhibere, aegrotis octauo uel nono die pereuntibus, auſi fuerant. Hic quidem τὸ ἀπέχϐ, non autem peraeque τὸ ἀνέχϐ locum habet, talia enim humano generi maxime pernicioſa conſilia non toleranda ſunt, omnique cauendum ſtudio, ne in actum deducantur. Hoc pariter modo, ſi quis in conſultationibus medicis ſua laudat et commendat arcana, eorum uero ingredientia et praeparationem occultat et reticet, his minime annuendum, nec eorum uſus admittendus erit, ſed perpendenda, quae ſcribit FERNELIVS, (d) quod grauis ſit eorum temeritas, qui eximium quoddam remedium nacti, ſine iudicio, ſine arte, utcunque ſors tulerit, ſtatim ad curationem proferunt. Ea igitur de cauſa, ſi ad aegrotum accerſitus, periculoſum atque ancipitem ſtatum deprehendis, et ſolus in te curam ſuſcipere recuſas, de tali medico adhuc uocando ſis ſollicitus, qui prudens, ingenuus ac pius eſt; unus enim, monente BOHNIO, (e) non uidet omnia, unius mens omnium negotiorum incapax eſt, nec cuncta ſua ſcientia complecti poteſt, pauca enim unus uidet et audit, multa uero plures. Nam praeterquam, quod hac ratione, alius medici ſenioris et prudentis conſilio adiutus aegroti

(c) De duplici medici officio part. 1. cap. 5. p. 119.
(d) Lib. 2. de abdit. rerum cauſis cap. 19.
(e) Lib. et cap. citat, p. 108.

aegroti rebus melius proſpicere et ſuccurrere queas, tuam quoque famam et mentem recti conſciam ſeruabis et tueberis.

XVII. Nec tutiore et certiore uia hic ulterius progredi, ipſamque medelam prudenter inchoare et abſoluere potes, quam ſi omnia, tam praeterita, quam praeſentia examinando, certum et diſtinctum de morbo, eius cauſa, ſede, origine et ſtatu conceptum tibi comparas. ὅπως τὰς νόσους, inquit, HIPPOCRATES, (f) ἀπὸ τίνων, τίνα σχήματα, ἐφ' οὓς τόπους ἐτράποντο, ἤρχοντο, παρῆσαν, ἐπαύσαντο; conſiderare nempe debet morbos, ex quibus, quas formas habeant, in quae loca uerſi ſint, quo tempore coeperint, adfuerint, ceſſarint. In omnia igitur ſedulo inquirendum, ac per quaeſtiones plures aegroto propoſitas, quid peccet, quid factu opus ſit, eruendum. Eſt itaque interrogatio, teſte experientia, teſte TRALLIANO, (g) rectae curationis fundamentum. Eandem de interrogatione fouet ſententiam CLAVDINVS, (h) eamque his iniungit uerbis: quoniam nec is, qui ſolus curat, nec qui cum aliis de curando aegroto conſultat, bene unquam ſuo munere fungi poteſt, niſi ab aegro atque aſſidentibus recte inſtruatur; recte uero inſtrui nequeat, niſi recte eoſdem interroget, adeoque aegrorum interrogatio, quaſi carcer ſit atque initium, a quo methodus hic proficiſcatur; quippe per quam principia ipſa, quibus innititur medicus, patefiunt et perſpicua redduntur. Exactam hinc formemus diagnoſin, huiuſque ſubſidio, nos ab illo opprobio et conuitio, in quo, ex LANGII (i) teſtimonio apud exteras gentes ſumus, liberemus; cauſas, inquit idem, quamobrem medicorum germaniae nomen apud

 exteros

(f) Epid. 6. Sect. 8. conf. Sponii aphor. Sect. 5. §. 7. p. 286.
(g) Lib. 9. cap. 1.
(h) De Ingreſſ. med. ad infirmos lib. 1. cap. 1. §. 1.
(i) Lib. 1. epiſt. 2.

exteros minus celebre ſit, in meo de republica ſympoſio recenſui quam plurimas, quarum illa eſt praecipua, quod primaria medicinae pars, διαγνωστική, uel ſemiotica, quae ex ſuis ſignis et hypotheſibus morbi naturam, cauſas et ſubſtantiam docet cognoſcere, uel ignoratur, aut ob deſidiam negligitur, dum uulgus medicorum ex ſolo fraudulento putidi lotii indicio morbi eſſentiam diſcernere ſtudet. Non igitur uni alterive ſigno ex lotio pulſuque deſumto, nec ipſis aegrotorum relationibus fidem habeas. Plura hinc ex aegroto quaeras, nihilque, quod ſcitu neceſſarium ſit, negligens indices aegroto, ut tibi exactiorem uitae anteactae, uſque ad praeſentem ſtatum, hiſtoriam ſuppeditet; recenſenda nempe, prouti deſiderat BOTALLVS, (k) iuuentutis uel anteacti temporis errata, ſiue ex induſtria fuerint praeſtita, ſiue non. Inter errata, etiam intelligi uolo, antegreſſas aegritudines, ex iis enim omnibus, uel plurimis, occultus morbus ſaepe detegitur. Huiuſmodi uero relationibus et quaeſtionibus maxime utilibus et neceſſariis non immiſcendae ſunt aniles, quales ab EPIPHANIO FERDINANDO (l) prolatas inuenimus: an nempe morbus ſit a pituita uel bile, an utrisque? item, an ſponte ſoleat prauum ſuccum aggregare? His omiſſis, circa exploranda atque interroganda, VALESIVM (m) ſequamur, qui monet, ut nihil eorum omittamus, quae ad cognitionem morbi, cauſae et medelae conferre poſſunt, neque tamen nimii ſimus, quoduis ubique citra delectum interrogandi. Sed ita, ut aegrotus ipſe et qui adſunt, intelligant, te non longe abeſſe a notitia eorum, quorum ſuſcipis curationem; hinc fiet, ut bonam de te concipiat opinionem, et aeger melius pareat et agat confidentius.

XIIX.

(k) Libr. de aegroti et medici munere §. 20.
(l) Hiſt. 55. et 61.
(m) Epidem. lib. 6. cap. 3.

XIIX. Cognito iam morbo, perſpectaque eius cauſa, atque origine, eo maior et certior medicorum ad curam requiſitorum conſenſus expectandus, cum morborum cognitio, ex ſententia GALENI, (n) remediorum ſit materia, et, uti idem (o) habet, nullo negotio inueniat remedia, qui cognouerit affectum. Antequam uero te ad remediorum, quae exhibenda, uſum confers, duas tibi regulas probe obſeruandas Syncretiſmus noſter commendat: 1) ut nulla praeſcribas remedia prius, quam morbi indole exacte perſpecta; 2) ut remedia, quae ſecundum indicationem rationalem praeſcripta ſunt, non mutes. Primum eo usque ab omnium remediorum, uehementium praecipue, uſu abſtrahere decet, donec morbi typum, eſſentiam, indolem atque originem accurate et perfecte perſpexerimus; ac melius certe eſt, tum nulla uti medicina, quam intempeſtiuo remediorum, alias maxime utilium, uſu, morbum deteriorem et grauiorem reddere. Auſculta hic egregio doctiſſimi atque ingenui SYDENHAMII (p) conſilio, eumque ſequere, haec ſincero confitentem et monentem affectu: nec pudet fateri, me non ſemel in curandis febribus, ubi nondum conſtabat, quid mihi agendum eſſet, nihil prorſus agendo, et mihi, et aegro conſuluiſſe optime. Dum enim morbo inuigilarem, quo eum opportunius opprimere atque extirpare ualerem, febris uel ſponte ſenſim euanuit, uel in eum ſe typum recepit, ut iam mihi innoteſceret, quibus armis eſſet debellanda. Sed quod dolendum omnino eſt, aegrorum quam plurimi haud ſatis gnari, quod perinde ſit medici periti, quandoque nihil agere, atque alio tempore efficaciſſima adhibere remedia, probitatis ac fidei fructum hunc capere nolunt, ſed uel negligentiae, uel ignorantiae id imputant, cum empiricorum

(n) De aliment. facult. lib. 1. cap. 1.
(o) De tuenda ſanitate, 5.
(p) Lib. de morb. acut. Sect. 5. cap. 6.

corum inſulſiſſimus quilibet medicamenta medicamentis adiicere aeque nouit, ac ſolet magis, quam medicorum prudentiſſimus. Medicus itaque in huiuſmodi conſtitutus anguſtiis, uel nullum praeſcribat remedium, uel lene aliquod, ex cuius uſu nullum aegroto detrimentum imminet, licet quoque deſideratam non praeſtet opem; in quo conſentientem habemus HIPPOCRATEM, (q) qui hiſce noſtram confirmat ſententiam: ἀσκεῖν περὶ τὰ νοσήματα δύο, ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν; duo nempe in morbis praeſtanda: iuuare, aut ſaltem non nocere. Quo igitur exoptato cum ſucceſſu remedia praeſcribere poſſis, rationalis ante omnia formanda indicatio, qua methodus medendi, ac remediorum cum iudicio ſuſcipienda applicatio, innititur. Si hac ratione remedia congrua, quae exacte perſpectus aegroti ſtatus indicauit, adhibes, illorum uſui deinceps inhaerendum eſt, eaque non mutanda, ex monito HIPPOCRATIS, (r) πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς, omnia enim ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedant ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, manente eo, quod ab initio uiſum fuit. Eadem ratione procedendum, idemque obſeruandus ordo in cura morborum, quos a tempore chronicos uocamus: in longis, ait CORNELIVS CELSVS, (s) quos tempus ut facit, ſic etiam ſoluit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit. Minus autem remoueatur, ſi quid paulum ſaltem iuuat; quia profectus tempore expletur.

XIX. Exigit praeterea medici prudentis atque ingenui officium, ut ex frequentiore aegrotorum inſpectione proficere

(q) Epidem. 1. confer. in hunc locum Sponii aphor. nou. Sect. 5. §. 6. p. m. 285.

(r) Sect. 2. aphor. 52.

(s) Lib. de medicina 3. cap. 1. edit. in 12. ex recognitione van der Linden p. 119.

cere ſtudeat, ac medendi occaſionem, quaeuis accurate obſeruando, aucupans et conſectans, remedia uniuerſalia et ſpecifica reprobet, ac ſimplicibus, quae morbis cauſisque illorum extripandis accommodata et ſufficientia ſunt, congrua ratione utatur. Frequens ita cum aegrotis conſuetudo et colloquium, tibi maiorem quotidie eorum, quae te adhuc latent, notitiam et peritiam ſuppeditabunt. Vbi medicus, ait CLAVDINVS, (t) paulo diligentior in aegro atque aſſidentibus interrogandis fuerit, procul dubio et ii, et ille, etſi craſſae admodum fuerint Mineruae, tales totque proprietates et notas paſſionum earum, quae corpus aegri infeſtant, adducent proponentque, ut medicus mediocri ſaltem doctrina praeditus, per eas diſcurrendo, ideam illarum atque eſſentiam, aut ſtatim, aut ſaltem ex frequentioribus aegrorum inſpectionibus, poſſit uel ſine negotio aſſequi. Occaſio uero medendi, quae in morbis acutis anceps eſt, et praecipiti tranſit celeritate, mox in principio obſeruanda, ex conſilio HIPPOCRATIS, (u) *ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέει κινέειν, κίνει, ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν, βέλτιόν ἐστιν*, incipientibus nempe morbis, ſi quaedam neceſſaria ſit euacuatio, hanc ſuſcipe, quando uero morbi augmentum et ſtatus iam adeſt, melius eſt quieſcere, et a remediorum, ſeuacuantium praecipue, uſu abſtinere. Si haec, medicus ille, de cuius methodo medendi, Facultatis noſtrae cenſura et iudicium nuper deſideratum datumque fuit, attenta perpendiſſet mente, aegroto pleuritide uera laboranti, purgans ſeptimo die non exhibuiſſet, eundemque uita priuaſſet. Remedia denique uniuerſalia ſeu panaceas, copioſamque remediorum compoſitorum farraginem, una cum ſpecificis, quae contra hunc illumue morbum, ſine rationali diſcrepantium cauſarum examine, promiſcue in omnibus aegrotis praeſcribuntur, noſter Syncretiſmus pariter reprobat, et horum loco, ſimplicia, cauſae morbi accommodata, commendat. Si enim

 pana-

(t) De ingreſſu ad infirmos, lib. 1. cap. 1.
(u) Libro Aphoriſmorum, Sect. 2. aphoriſm. 29.

panaceae et certa proſtarent ſpecifica, medicis plane ac ſolidiore artis ſalutaris cultura carere poſſemus, ac pharmacopoei talia remedia conficientes in republica bene conſtituta ſufficerent. Cum autem aliud plane prudentes medici ex quotidiano didicerint uſu, atque optimum eorum ſpecificum in accurata cauſarum, quibus morbi inducuntur, cognitione conſiſtat, cauſae uero ſint multiplices, diuerſamque a ſe inuicem habeant naturam atque originem, hinc neceſſario etiam indicatio, methodus medendi, et ipſa remedia, in diuerſis aegrotis uno eodemque morbo laborantibus, mutanda. Accommodate, ſi antecedentia reſpicias, a GALENO (x) indicatio, ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας, appellatur, quibus quippe demonſtrare uoluit, quod indicatio exacta, prouocans ad corporis, e quo formata, ſtatum, dilucide demonſtret, quid faciendum, quid omittendum, cum omnibus eadem, ob uariam tam ſolidorum, quam fluidorum conſtitutionem, alimenta, potulenta et remedia, non peraeque conueniant; διαφέρει, uti loquitur HIPPOCRATES, (y) σῶμα σώματος, καὶ φύσις φύσιος, καὶ τροφὴ τροφῆς· οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταῦτα οὔτ' ἀνάρμοστα, οὔτ' εὐάρμοστά ἐστιν, ἀλλ' ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα, hoc eſt, corpus a corpore, natura a natura, nutrimentum a nutrimento differt; non enim omnium animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt, ſed ſunt alia aliis conuenientia. Ad ea igitur, quae in morborum cura deſideramus, facilius et tutius obtinenda, remedia ſimplicia, et quidem talia, qualia peccantis natura materiae exigit, praeſcribere decet, ac non ſine ueritatis ſuffragio cum ARNOLDO DE VILLA NOVA (z) aſſereo, quod ille, qui ſimplicibus mederi poteſt, compoſita medicamenta doloſe aut fruſtra quaerat. Si enim remedia, quae coniungimus, unius eiuſdemque ſunt uirtutis, nullum hinc aduerto fructum, cum unicum ex iiſdem idem perficere queat; ſi uero plura reme-

(x) Method. medendi 7.
(y) Lib. de flatibu,s edit. cum Zwingeri Comment. p. 279. §. 94. et 95.
(z) Doctrina 2. aphoriſmo. 15.

remedia coniunctim praeſcripta diſcrepantibus principiis et uiribus gaudent, alterum alterius impediet et turbabit operationem. Nec eſt, ut hic aliquid uulgi perſuaſioni dandum eſſe cenſeas, aut quandoque uolatilium uim, additis temperantibus, mitigandam, uel terreorum uirtutem, additis ſalibus tam fixis quam uolatilibus, promouendam. Si enim leniora et temperata requiruntur reſoluentia, plura iam habemus talia ſimplicia, atque ita idem cum aliis comparatum remediis. Comperimus hac ratione ex quotidiano uſu, ſimplicia prae compoſitis longe maioris et certiores eſſe effectus; exhibe ita, ut exemplum in promtu poſitum huic ſententiae robur addat, aegroto, uehementi aeſtu ac ſiti diuexato, puluerem ex ſolo nitro depurato uel arcano duplicato paratum in aqua ſimplici, maiorem hinc et celeriorem percipies fructum, quam ſi nitro farraginem remediorum terreorum, lapidum nempe cancrorum, unicornu foſſilis, marini, cornu cerui philoſophici, matris perlarum, margaritarum praeparatarum, addas. Idem pariter in uſu corticis chinae deprehendes, qui in febribus a ſolidorum laxitate ortis, poſt ſufficientem primarum uiarum et totius corporis expurgationem, certiorem et meliorem effectum exerit, ſi ſolus adhibetur, quam ſi cum aliis, nunc acidis, nunc amaris, modo terreis, modo uolatilibus, temeraria coniungatur ratione.

XX. Ac hac methodo, in praeſcribendis exhibendiſque remediis, uti debes, ſiue diuites uel pauperes, ſiue nobiles uel ruſtici, ſiue noſtrae uel alius principiis religionis addicti, curandi ſint; temerarium enim, imo impium eſſe iudico, alia eaque praeſtantiora remedia opulentis, atque alia iterum, nempe uiliora atque abiecta, egenis offerre. Si unius eiuſdemque haec remedia effectus ſunt, eaque, quae uiliori conſtant pretio, idem praeſtant, quod pretioſa, his repudiatis, illa ſaltem paranda et praeſcribenda eſſe, autumo. Sin uero quaedam in horum remediorum uiribus praerogatiua, ea praecipue miſeris egenis exhibere decet, quae quam ocyſſime, iisdem, unicum, quod illis inter terrena relictum eſt, bonum,

ſanitatem nempe, reddant. Atque hoc in ſpecie a prudenti, pio atque ingenuo medico Syncretiſmus noſter poſtulat, qui, ut ea primum peragamus, quae Deus nobis facienda praecepit, iniungit, deinceps nos ulterius hortatur, ut nullam noſtra commoda honeſto modo promouendi occaſionem praetermittamus, quod utique eueniet, ſi praecipuam eorum aegrotorum, quos, praeter corporis calamitates, omnium rerum premit inopia, rationem habeamus et curam geramus. Nam et egeni, uti ex Celeberr. WEDELIO refert VALENTINI, (a) ſeminarium ſunt famae et fortunae medicae; non principibus tantum, ſed et his placuiſſe uiris, haud infima laus eſt. Per aſpera ad aſtra, per ſpineta ad roſeta, ac pedetentim per inferiores ad ſuperiores aſcendendum gradus. Te igitur inopum penuria a recte agendis non auocet, ſed praeter neceſſaria remedia, illis quoque, neceſſariis, quibus egent, alimentis, potulentis aliiſque ſubſidiis ſuccurre. Nec etiam remedia noua, draſtica, minus tuta, de quorum effectu nondum per experientiam atque indubitatas rationes informatus et confirmatus es, experiendi ergo, ac ſi animantia bruta eſſent, egenis exhibe; nam coram tribunali diuino, ante oculos omniſcii iuſtiſſimique Iudicis, pariter de inopis ac diuitis homicidio, quod hac ratione committis, te oportet rationem reddere. Ne igitur a recta meta aberres, mentemque recti conſciam ferues, nihil, quod illi reluctetur, admittendo, neceſſarium erit, ut ſemper conſideres atque expendas, non quis qualiſque aegrotus? an opulentus uel egenus? ſed potius morbi cauſaeque morbificae naturam reſpicere, illique, ſine ulla ad diuitias aut inopiam reflexione, ſuccurrere decet.

XXI. Huius loci quoque eſt, graue noſtroque plane contrarium Syncretiſmo praeiudicium, quod apud SCHOLZIVM (b) aduertimus; prudentis medici eſt, ſcribit idem, eorum corporum curam renuere, unde facile famae labem contrahere poteſt, ut infantum, grauidarum, aut ex calculo et

(a) Prax. med. infallib. et quidem in Corollar. ad prud. med. ſpectant. p. 856.

(b) Aphoriſm. medic. Sect. I. aphor. II. p. m. 3.

et oculis laborantium. Aſt, bone Deus! quid eueniet? quid quaeſo eueniet, ſi omnes medici prudentes, huiuſmodi ſubiectorum atque aegrotorum curam repudiant? Imprudentes, a leuiorum cura morborum arcendi, plane non apti iudicantur proſpiciendis medendiſque, quibus grauidae affliguntur, malis. Haec igitur regula non prudentiam, ſed machiauelliſmum medicum reſpicit. Si enim omnes prudentes medici grauidas, puerperas atque infantes derelinquunt, quis alias illis opem ferre debet. Huiuſmodi aegroti praecipue prudentis auxilio et conſilio medici opus habent; morbi quippe, quo periculoſiores, quo celeriores et grauioribus ſtipati ſymptomatibus, eo maiori circumſpectione et prudentia curandi ſunt. Hoc in morbis, quibus laborant grauidae et puerperae, attendendum. Hoc etiam in medela infirmitatum, quibus affliguntur infantes, ſumme neceſſarium; hic enim medicus prudens maxime deſideratur, eiuſque conſilio ac medicamentis opus habemus, cum ex circumſtantiis, quae in ſenſus incurrunt, morbum eiuſque cauſam eruere, indicare, iudicare, et morbo aetatique apta remedia praeſcribere debeat. Sedulo hunc in finem eorum, Harris nempe, legendi ſunt libri, qui morbos infantum, ea, qua decet, ſedulitate examinarunt atque explicarunt. Nec omnis, illis, qui affectibus oculorum ac calculis renum ueſicaeque urinariae laborant, a medico prudente medela deneganda. Sufficiens uero, in huiuſmodi affectuum cura, circumſpectio adhibenda, et ſi calculi maiores renibus uel urinariae inhaerent ueſicae, non agyrtarum more, de ſpecificis lithontripticis multa garrias, nec aegrotis certam ac radicalem huius mali extirpationem promittas, potius ingenue, quid futurum factoque opus ſit, indices, nempe emollientibus, lubricantibus, uias, per quas calculus tranſire debet, laxandas, calculique, ſi minor, excretionem promouendam, aut, ſi maior, atque in urinaria haereat ueſica, per cyſtotomiam eundem eximendum eſſe. Eaſdem quoque cautelas in curandis oculorum affectibus adhibens, meliore rei conuenientia et ſucceſſu prudentis periti-

que nomen medici tueberis, quam ſi SCHOLZII ſupra allegato monito te obedientem praeſtas. Talis enim medicus, qualem SCHOLZIVS deſiderat, non prudens, ſed aſtutus et callidus dicendus, ac huiuſmodi aſtutiam aliquo modo ſub nomine prudentiae approbandam atque excuſandam eſſe iudico, ſi aliquis, eadem, non ſufficienti rerum medicarum notitia inſtructus, utitur; huiuſmodi enim imperitis medicis, qui ſuarum rerum non ſatis gnari ſunt, grauiorum et periculoſorum cura morborum haud ſuadenda et commendanda, et ſi iidem, non perpendentes, quid ualeant humeri, quid ferre recuſent, acutarum et malignarum medelam infirmitatum in ſe ſuſcipiunt, tunc iidem, (cum antea leuioribus medentes affectibus, qui maximam partem ſua ſponte ceſſarunt, magnorum nomen medicorum obtinuerint,) perſaepe eorum manifeſtatur ignorantia atque imprudentia, idemque illis accidit, quod malis naucleris, qui, uti habet BALLONIVS, (c) nauem regunt in tranquillitate, ſi forte aut deficiant, aut delinquant, non fiunt eorum errores manifeſti; cum uero deprehenderit ipſos uentus et tempeſtas, palam iam conſpicui ſunt omnibus hominibus, quod et ignorantia, et culpa erroris ſui, nauem perdiderint. Sic ſane et multi mali medici, cum curant homines nihil graue patientes, in quos, etiamſi quis grauiter delinquat, nihil graue faciat, ſunt autem multi tales morbi, et multo ſaepius, quam graues accidunt. In talibus certe delinquentes non fiunt manifeſti hominibus idiotis; ubi uero obtigerit magnus, fortis et periculoſus morbus, tum ipſorum delicta et ars omnibus in conſpicuo ſunt.

XXII. Maiores uero perſaepe occurrunt difficultates, in quas etiam periti prudentesque incidunt medici, atque ex quibus uix eluctari licet, dum deſperatorum curam morborum aggredi tenentur, praecipue, ſi opportunum tranſierit medendi tempus aut morbus ſit inueteratus altasque egerit radices, et alius iam medicus aegroti geſſerit curam, ac deploratiſſima rerum facies funeſtum praeſagiens euentum adſit. Monet

(c) Lib. I. conſil. 106.

Monet tum CORNELIVS CELSVS, (d) ut talem medelam plane recuſemus; prudentis hominis eſt, inquit idem, eum, qui ſeruari nequit, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit. Deſumſit ſua Celſus ex HIPPOCRATE, (e) apud quem haec de ea, quam uentilamus, materia, legimus: *καὶ λόγους ἐν ἑωυτῇ εὐπόρους εἰς τὰς ἐπικουρίας ἔχει ἡ ἰητρική, καὶ οὐκ εὐδιορθώτοισι δικαίως οὐκ ἂν ἐγχειρέοι τῇσι νούσοισιν, ἢ ἐγχειρευμένας ἀναμαρτήτους ἂν παρέχῃ,* rationes nempe in ſe ipſa ad ferendum auxilium abundantes habet medicina, et morbos, qui corrigi nequeunt, merito non aggreditur, in iis uero, quorum curam ſuſcipit, inculpatam ſeſe praebet. Nulli autem, iis etiam, quorum ſtatus deploratiſſimus ac deſperatiſſimus exiſtit, opem denegandam eſſe, noſter monet Syncretiſmus; perſaepe enim grauiorum, quae in aegroto animaduertimus, ſymptomatum praeſentia commoti, arbitramur, de uita omnino actum eſſe, ac mortem mox inſtare, cum tamen breui magna fiat rerum mutatio. Reuoco iam in memoriam, lugubrem amici doctiſſimi, iam apud exteros munere Paſtoris eccleſiae fungentis, quem de toto amo pectore, ſtatum, cui pleuritide uera laboranti iam mors a ſuo medico denunciata, ita, ut propinqui atque amici illius moerentes atque illachrymantes nihil aliud, quam mortem aegroti mox futuram expectarent. In hoc rerum ſtatu accerſor, conſulunt, interrogant, obſecrant me; egomet omnibus, tam antecedentibus, quam praeſentibus, ipſisque tenus hac praeſcriptis remediis examinatis, animaduerto potiunculam ex terreis et ſtypticis compoſitam, quae ipſam reſolutionem atque expectorationem materiae in uaſis pulmonum haerentis turbauerat, cuius uſu repudiato, leniora reſoluentia, emollientia ac temperantia exhibeo, quibus quies, et tranquillus, qui per tres integras horas durabat, et uires refocillabat, ſomnus inducitur, libere procedit expectoratio, remittunt cum febri reliqua ſymptomata, et ſenſim paulatimque ille, qui iam cymbae Charontis man-

(d) Lib. 5. cap. 26.
(e) Lib. de arte, edit. cum Comment. Zwingeri p. 7. §. 120. et ſequ.

mandatus credebatur, miſericordis beneficio Dei, qui miſeris mortalibus, in humanarum ſolatium calamitatum, artem ſalutarem largitus eſt, reſtituitur. Noui ita plures aegrotos aegrotasque acutis laborantes febribus, ubi per breuioris interuallum temporis, nullus, aut inaequalis pulſus, obſeruatus fuit, aut per aliquot horas, conuulſiones, deliria, animi deliquia, ecſtaſis, catalepſis aegrotos uehementer afflixerunt, qui tamen priſtinam iterum integramque recuperarunt ualetudinem. Medicus igitur prudens et generoſus, ex GALENI (f) conſilio, uehementia et grauitate caſuum, qui in morbis ſpectantur, non terreri debet; e re potius eſt, ut idem ſemper animi inſtructus praeſentia nihil perturbato agat animo, nec in ancipiti ſtatu mox deſperet, nec in eo, qui tutus uidetur, nimium confidat, certamque promittat ſalutem, ſiquidem, teſte CORNELIO CELSO, (g) etiam ſpes interdum fruſtratur, et moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit. Multo magis idem in ſtatu periculoſo obſeruandum, cum non ſatis tuta certaque ſint in morbis acutis ac malignis futurae ſalutis ac mortis ſigna, nam, uti habet HIPPOCRATES, (h) *περὶ τῶν ἀφανεστάτων καὶ χαλεπωτάτων νουσημάτων δόξῃ μᾶλλον ἢ τέχνῃ κρίνεται· διαφέρει δὲ ἐν αὐτέοισι πλεῖστον ἡ πείρη τῆς ἀπειρίης*, de obſcuriſſimis nempe et difficillimis morbis opinio magis quam ars iudicat; diſtinguit tamen ſe etiam in his peritia multum ab imperitia. In ancipiti igitur aegrotorum ſtatu, prudenti prognoſi ſibi ſuaeque famae medicus doctus et peritus conſulere debet, obſeruans ea, quae hunc in finem monet CORNELIVS CELSVS, (i) ubi grauis metus, ait idem, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne, ſi uicta ars malo fuerit, uel ignoraſſe, uel fefelliſſe uideatur. Quicunque enim, ad GALENI (k) experientiam prouocans,

(f) Lib. 3. de Criſibus.

(g) Lib. 2. de medic. cap. 6. edit. quae Lugduni Batauorum apud Salomon Wagener in 12mo 1665. prodiit p. 61

(h) Libro de flatibus, edit. cum Comment. Zwingeri §. 16. et 17. p. 277.

(i) Lib. 5. de medicina cap. 26. edit. cit. p. 300.

(k) Comment. 2. in lib. 6. Hippocratis, de morb. uulgar. text. 43.

uocans, aſſero, in periculoſis morbis, plus, quam deceat, aegrotantes hilares et bonae ſpei plenos reddunt, in multa ipſos mala coniiciunt, in triſtitiam ſequentibus diebus apparentem, cum aut in peius morbum cecidiſſe uidetur, aut ultra medicorum promiſſa producitur. Quin etiam plures homines, exiſtimantes ex medici perſuaſione, omne abeſſe periculum, maxime utilibus et neceſſariis praeceptis non obtemperant.

XXIII. Huiuſmodi uero cautelis, ille, qui ingenui ac prudentis medici nomen ac munus tueri geſtit, non abuti, nec paruam rem, ex ſententia CELSI, (l) hiſtrionis more, attollere debet, quo plus praeſtitiſſe uideatur. Noui ita medicos, qui, ut magnorum ſibi famam facinorum compararent, aegrotos purpura ſcorbutica, benigna, febris experte laborantes, perſuadere uoluerunt, eoſdem febri petechiali affectos, maximo labore et prudentia e mortis faucibus ſurreptos fuiſſe. Talem hiſtoriam ſpecialem mihi nuper amicus quidam communicauit, ad quem accedens medicus non erubuit affirmare, quod illum ferre nequeam, rationem uero hanc eſſe, quia egomet nuper curarim aegrotum febri petechiali laborantem, ſe uero ad alium aegrotum, in eadem domo decumbentem, eodemque affectum malo, accerſitum fuiſſe; cum tamen egomet nullum aegrotum per duos integros annos hac maligna febri afflictum, curandum habuerim, ac per immenſam clementiſſimi Dei miſericordiam, hoc, praeteritoque anno, ab omnibus huiuſmodi morbis plane immunes hic uixerimus. Vti uero talis iactantia a prudenti atque ingenuo medico aliena eſt, ita quoque partium eiuſdem eſt, omni modo praecauere, ne imminentis ſignificatione periculi, aegroti animus percellatur, idem potius conſolandus, futurique ſpe boni erigendus, his ſimul additis, ut ea exacte obſeruet, quae illi iniuncta ſunt; multum enim ad felicem medelam animus ſpe plenus et tranquillus contribuit; et ex PARAEI (m) conſilio, etiam in uitae periculo, ſpe ſalutis, aegrum conſolari decet, ea tamen ratione, ut ſimul memores ſimus eorum, quae praecepit GALENVS: (n) quod ſi inter-

(l) Lib. de medic. 5. c. 26. edit. citat. p. 300. (m) In Canon. ſuis canon. 10.
(n) Comment. 2. in lib. 6. Hippocrat. de morb. uulgar. text. 43.

terdum, ob extremam aegroti formidinem, certam illi ſalutem polliceri medicus coactus fuerit, egreſſus, iis, qui aegroti curam gerunt, uera indicet.

XXIV. Aliud e contra capiendum conſilium, aliaque procedendum methodo, in cura morborum chronicorum, ſi aegroti ſint immorigeri, easque, quae illis commendatae, regulas, negligentes, ſuo indulgeant genio, ac peruerſa uictus uiuendique ratione, nouum morbo ſuppeditent fomitem; tum certe medicus, non heroica modo auctoritate, ut WECKERI (o) utar uerbis, excellere debet, imperando neceſſaria, prohibendo noxia, reprehendendo errata, ſed, ut etiam, quam periculoſus, quam diuturnus, quam difficilis curatu ſit morbus, quanta et quam grauia mala, ex continuato malae diaetae genere, ac reliquarum rerum, quas medici non-naturales dicunt, abuſu, aegrotis immineant, ſerio indicet, neceſſarium eſt. Huius praecepti utilitatem et neceſſitatem praecipue in aegrotis lue uenerea affectis obſeruamus. Illos quippe, nunquam ab eo, quod commemoraui, malo, perfecte liberabimus, niſi omnimoda a uenere abſtinentia, exacta uiuendi ratio, ac longior congruorum remediorum uſus, in ſubſidium ſimul uocentur, iiſque coniunctim obſeruatis atque adhibitis, cauſa huius morbi antecedens funditus extirpetur, praeſens deleatur, atque imminens praecaueatur. Huius praecepti uſus maximi quoque momenti, et ſummae opus neceſſitatis eſt, in cura aegrotorum, hydrope, arthritide, iſchiagra, podagra, fluore albo, etc. laborantium, quibus eadem ſeuere inculcanda iniungendaque, quae ſupra iam monui, cum plures eorum uenere, uino aliiſque peſſimae indolis alimentis et potulentis abutentes, nouam indies cumulent materiam peccantem, ac quaeuis remedia, licet optima, licet cauſae accommodata, ſine ullo fructu aſſumentes, culpam in medicamenta et medicum coniiciant. Quo uero te ab huiuſmodi conuitiis liberum praeſtes, eo aegrotum monitis precibuſque adige, ut ea, quae agenda, agat, nam congrua uictus ratio in morbis chronicis omnem abſoluit paginam, ac plures aegroti allegatis affecti malis, ſola a potu abſtinentia, hydropis, poda-

(o) In ideis Hippocratis.

podagrae, etc. qualem hiſtoriam ſuppeditat IOH. PETR. BORELLVS, (p) medelam perfecerunt. Sin autem tua repudians monita et conſilia, edit bibitque, quae illius arrident palato, nec in reliquis rebus, eum, qui requiritur, ordinem obſeruat, eundem, tanquam famae tuae inimicum, et ſalutaris beneficio artis indignum, derelinque, imitans in eo GALENVM, (q) qui monet, ut ne quidem tentemus, intemperantibus, uinoſis, ac uentri gulaeque deditis manum admouere.

XXV. Cautum ſe etiam et prouidum medicus prudens, in formandis, ex lotii inſpectione, diagnoſi et prognoſi, exhibeat. Si dicendum, quod rei ueritas poſtulat, et quae genuina mea eſt ſententia, medicus ingenuus et doctus uromantiam, ceu rem ſordidam, Syncretiſmo medico repugnantem, a ſalutaris dignitate artis abhorrentem, uel repudiet plane, aut lotium non prius, quam poſt perſpectam aegroti, morbi, partis laborantis cauſaeque morbificae naturam, inſpiciat iudiciumque ferat; ex ſolo enim lotio, illius praeſertim, cuius te latet conſtitutio, nihil plane, nec ſanitatem, nec morbum, nec morbi genus, nec partem affectam, nec cauſam, cauſaeque indolem, cognoſcere potes. A plurimis iam ſeculis, omnes cordati et prudentes medici, de graui eorum impoſtorum praeiudicio, manifeſtoque, quem, lotii inſpectionem admittendo atque urgendo, committunt, errore, conqueſti ſunt ac deplorarunt. Inuentum quorundam medicaſtrorum, qui, ne indocti uiderentur, ea, quae in artis poteſtate non ſunt, iactantium et promittentium, uromantiam, doctiſſimus noſter SENNERTVS (r) appellat, horumque culpa accidiſſe, tradit, ut uulgus uera ea exiſtimet, quae merae fabulae atque otioſorum commenta ingeniorum ſunt. Inuehit dehinc grauiter in Paracelſi aſſeclas, qui illos errores non modo propagarunt, ſed nouis quoque figmentis auxerunt, ab illis enim artem hariolandi ex urina, tam praeſtantem, tam magnam fuiſſe iudicatam, dictus refert auctor, (s) ut nulli dubita-

(p) Obſ. medico-phyſic. Cent. 4 obſ. 11. p. m. 287.
(q) Lib. de curat. per ſanguinis miſſionem cap. 6.
(r) Lib. IV. Prax. Part. 2. Sect. 5. cap. 1.
(s) Libro de Chymicorum conſenſu cap. 17.

bitarint aſſerere: abſtruſiſſima quaeque corporis uitia, ac latentes in corpore mutationes, aetatem ſcilicet, uirginitatem, conceptionem, conceptionis tempus, ſexum, uiſcerum conſtitutionem etc. ex ſola lotii inſpectione poſſe cognoſci. Sed non minus quis, teſte PAVLO ZACHIA, (t) ex lotio praegnantem eſſe mulierem cognoſcet, quam ſi ex eodem intimas atque occultas eiusdem mulieris cogitationes expiſcari uelit. Saepe hinc huiuſmodi uromantae a uulgo irridentur, omnibuſque hominibus fiunt ſpectaculo. Plures huiusmodi hiſtoriae ubique narrantur, et eaedem noſtris, quae priſcis temporibus, in ſcenam producuntur fabulae. Fit hoc modo; ſecundum VALESII (u) relationem, ut multi per inſidias ſciſcitati, magno artis opprobrio, ridiculi euadant, cum ex lotii inſpectione conceptionem iudicare uoluiſſent. Quid exiſtimas, ſunt uerba FORESTI, (x) miſer, medicum recte conſulturum, niſi originem ac cauſam morbi probe intellexerit, quam fallax urina nunquam indicabit: Attende haec, ſi tibi honeſti prudentiſque nomen medici, ac famae tuae conſeruatio curae cordique eſt, ac te a ſordidis et leuis notae macula laborantibus uromantis ſeiungens, non uile abiectumque, quod acquirere poſſes, pretium, nec uulgi, quod nonnulli captant, iudicium, ac fauorem, reſpice, ſed quae ex re tua ſunt, age, ſemper firma tenens memoria, quae de ſignis ex lotio deſumendis LEONARDVS FVCHSIVS (y) ſequentibus propoſuit: reprehenſionem merentur magna noſtri ſeculi medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex urina cognoſci poſſe cenſent. Niſi enim peruerſam hanc et riſu dignam opinionem induiſſent, non ex urina, tanquam olim ex tripode, de ſingulis corporis malis reſpondere in animum induxiſſent. Valde autem inepti ſunt, qui omnia ex urinae inſpectione praedicere conantur, ut ſcilicet inſcitiam ſuam aut uerius, ſtultitiam, hac ratione omnibus planam faciant. Proinde, qui pertinaciter hodie etiam ſibi perſuadent, nihil non ex lotii inſpectione poſſe cognoſci, adeoque imperitae multitudini hac ratione, ſpe lucri parum certe liberalis, imponere in deliciis habent, ii certe digni ſunt, ut nouo etiam elogio ornentur, et non, ut olim ab Ariſtophane, σκατοφάγοι, quo epitheto auaros atque indoctos medicos olim dignatus eſt, ſed potius οὐροπόται appellentur.

XXVI. Aliam plane artem ſciſcitandi et medendi, alios prorſus mores, eoſque a ſordida uromantarum uitae ratione omnino alienos, noſter Syncretiſmus medicus a prudenti poſtulat medico; ille enim, his omnibus,

(t) Quaeſt. medic. legal. lib. 1. tit. 3. quaeſt. 2.
(u) Libr. III. Controuerſiarum, capite ultimo.
(x) Libr. III. de incerto urinae iudicio cap. 2.
(y) Inſtitut. medicis Lib. IV. Sect. III. cap. 1.

bus, quae antecedentibus monui capitibus, inſiſtens, aduertet, remedia, praeter ea, quae chirurgia et diaeta ſubminiſtrat, tam ad proſperae defenſionem ualetudinis, quam ad diuerſorum medelam morborum, uel a medico praeſcripta, ex publicis accerſiri officinis, aut eadem ab ipſis medicis praeparari atque exhiberi. Quod me attinet, melius eſſe iudico, remedia ex officinis probe conſtitutis, in quibus eadem rite beneque parata aequo uenduntur pretio, repetere ac praeſcribere. Non promiſcuam remediorum officinalium farraginem approbo, ſed ſelectu ac prudentis iudicio medici opus eſt. Duo autem hic ſedulo atque accurate tenenda ſunt, alterum, ut frequenter officinas publicas uiſitans, remedia, quae praeſcribis, examines, alterum, ut in praeſcribendis formulis; omnia accurate diſtinctis literis iiſque maioribus atque exacte notatis exprimas ac determines, quia ex huius rei negligentia, grauiores errores propullulaſſe, ipſamque mortem inductam fuiſſe, plures obſeruationes teſtantur. Ita ante aliquot annos, medicus puluerem temperantem praeſcribens, reliquis remediis nitrum antimoniatum aſſociauit, ubi pharmacopaei famulus literam N, non ſatis bene et diſtincte expreſſam, pro litera V habens, et hinc loco nitri antimoniati, legens atque adhibens uitrum antimonii, truculentiſſimorum ſymptomatum, uomitus cruenti, conuulſionum, animi deliquii ac repente ſuccedentis mortis auctor et architectus fuit. Similem recenſet hiſtoriam SALMVTHVS, (z) de conſiliario Anhaltino, cui a medico Vitembergenſi, medicamentum aliquod, praeter alia ingredientia, ex apio conſtans, praeſcriptum fuit, ubi pariter pharmacopoei miniſter literam A, non ſatis accurate ſcriptam, pro litera O agnoſcens, loco apii, opium exhibuit, tam funeſto ſucceſſu, ut aegrotus hinc profundiſſimo affectus ſomno et pro mortuo habitus in templo cathedrali ab agnatis terrae mandatus fuerit; qui tamen, ſi ſepulturam tantiſper adhuc agnati diſtuliſſent partim, partim mentem ſuperſtitionis expertem habuiſſent, etiam poſt ſepulturam, adhuc conſeruari potuiſſet; nam aedituus ueſperi fores templi claudens, dum praeterit ſepulcrum, eiulationes et pulſationes, quae continuantur continuoque intenduntur, audit, eaque, quae audiuerat, defert ad ſepulti agnatos, qui exiſtimantes, defuncti animam uel ſpectrum eſſe, non de ſepulcro reſerando cogitant, ſed pecuniam in pauperes erogandam curant, relicto, quem uiuum terrae tradiderant, in ſepulcro. Hic uero, non medicorum duntaxat κακογραφία accuſanda, ſed magna etiam culpae pars in pharmacopoei et miniſtrorum illius inſcitiam atque ignorantiam redundat. Vnde praeterea, quo ſibi ſatis medicus prudens proſpiciat, neceſſarium quoque erit, ut frequenter officinas publicas adeat, ac tum remediorum praeparationem, naturam ac uires, tum hominum, qui iiſdem conficiendis operam praeſtant, peritiam ac profectus examinet, et ſi quaedam remediorum uitia, defectus, pharmacopoeique et miniſtrorum illius ignorantiam et negligentiam deprehendit, ad magiſtratum deferat. Certe hoc modo, ſi ubique bene conſtitutae adeſſent officinae, priuata remediorum diſpenſatione

(z) Obſeruat. medic. Centur. tribus, quae in 4to cum Capelluti libello de Peſte, Brunſuigae apud Mullerum 1648. prodierunt. Cent. 2. obſ. 90. p. 105.

ne carere poſſemus. Sed, proh dolor! in plurimis officinis non hominum ſalus, ſed lucrum reſpicitur, quid pro quo exhibetur, optima ingredientia in remediorum praeparatione omittuntur, ſumma, in colligendis et aſſeruandis ſimplicibus, conficiendis compoſitis, negligentia adeſt. His et pluribus aliis praegnantibus cauſis multi prudentes medici commoti ſeſe ad chymicos et pharmaceuticos labores accingentes, remedia, quibus egent, ipſi conficiunt. Multas hac ratione moleſtias, plures quoque ſumptus habet medicus, ſed durum neceſſitas telum lege omnino carens. Prudens uero medicus, qui ipſe remedia ſua, quae aegrotis exhibet, praeparat, non de arcanis, non de ſpecificis glorietur, multo minus iiſdem in aegrotantium perniciem abutatur, nec, ſi quae habet draſtica medicamenta, eorum praeparationem et diſtributionem imprudentibus committat hominibus, ſed ipſemet ea, quae illi incumbunt, agat, omniaque accurate, ſi talia propinat, quae in eorum uſu obſeruanda ſint, deſcribat.

XXVII. Nec etiam his, quae antecedente capite commemoraui, medicus prudens acquieſcat, ſed poſt praeſcripta remedia, ipſemet cum aegroto loquatur, indicet neceſſaria, nec in eorum remediorum, quae maioris momenti ſunt, propinatione, fidei miniſtrantium nimium tribuat, praeſertim quod remediorum doſin et quantitatem concernit. Admoneat deinceps illos, qui aegrotis ſunt a manibus, ſui officii, omniaque, quae illis obſeruanda, ſedulo atque accurate inculcet; non ſatis enim eſt, teſte HIPPOCRATE, (a) medicum ſuo officio rite fungi, niſi mutuam quoque opem praeſtet aegrotus, eaque, quae ex re ſunt, perficiant adſtantes, externaque rite ſint comparata. Si mulierculararum adeſt colluuies hoc illudue ſuadentium, illis quidem auſcultare, illarum uero conſiliis minime morem gerere decet, ea, qua decet modeſtia, indicando, iam, quae neceſſaria utiliaque ſint, praeſcripta atque obſeruata eſſe. Quouis etiam honeſto modo de fauore atque amore aegroti conciliando decet medicum prudentem ſollicitum eſſe, ad hoc autem obtinendum, aegrotis ſeruili ratione adulari minime conuenit, ſed potius grauitatem cum humanitate coniunctam exerceas, uti monet GALENVS, (b) ſcribens: medicus moderatus, humanus iucundusque cum ſit, grauitatem etiam ſeruare, neque adeo ſe ſubmittere atque adulari, ut ſui contemtum pariat, neque rurſum perinde atqui Calinactem ſe aſperum ac ruſticum exhibere debet, niſi enim medicum aeger, ut Deum, admiretur et ueneretur, nunquam illius praeceptis obtemperabit. Sint igitur ſermones tui, quos cum aegrotis [illegible] non fatui, non agreſtes, [illegible] modati. Det operam me[illegible] qui uir honeſtus eſſe geſtit, ut moribus et medicamentorum uſu, quoad eius fieri poterit, medicinae dignitatem tueatur, nec unquam, ex GALENI (d) monito, in opere ſuo, quantum humanae concedunt uires, a uero aberrans, hominum incolumitatem et ſalutem, praeſentem ſanitatem defendendo, amiſſam reſtituendo, et uitam prorogando, promoueat, oſtendatque, ſe ingenuum prudentemque eſſe medicum.

(a) Aphoriſmorum Sectione prima §. 1.
(b) Comment. IV. in lib. VI. de morbis popular. text. 9.
(c) libro III. Antidotar. general. cap. 2.
(d) Commentar. in aphor. Hippocratis Sect. 6. aphor. 49.